I. T. V. N. SP.

PRIMASII VTICENSIS IN AFRICA IVSTINOPOLI CIVITATE EPISCOPI, COMmentariorum Libri quinque in Apocalypsim Ioannis Euangelistæ, ante mille annos ab autore conscripti, nuncq; primum æditi.

ROBERTVS VVINTER, BASILEAE.
1544

Cum gratia & Priuilegio Cæsareo ad quinquennium.

RELIGIOSO, PIO AC NOBILI D. PHIlippo ab Helmstetten, CANTORI *Cœnobij in Murbach & Luder, &c. Theologiæ ueræ studioso, Robertus Vinter Typographus*

S. D.

AVTOREM hũc peruetustum in squalore ac situ fœdissimo iãdiu iacuisse in uestro Cœnobio, religiosissime adolescens, & à clade rusticana, quæ ferè panolethriam bonarum literarũ inuexit, præsenti aliquo

numi

numine ſeruatum, tibi haud in-
cognitũ eſſe reor. Quod autem
iam tandem ſplendorem ac ni-
torem induerit, id factum conſi
lio Reuerendiſſimi D. Abbatis
tui, cuius animi celſitudo, non
inutilem laborem, ſi prælo hæc
commẽtaria ſubijciantur, theo
logiæ ſtudioſis ſe impẽdere per
ſuaſa eſt. Primaſius enim diſci-
pulus D. Auguſtini fuit, & ab il
lo quicquid ſanæ doctrinæ ha-
bet, hauſit: quem & ad annos
aliquot ſumma diligentia tam
prælegentem quàm concionan
tem, audiuit. Vir ſanè in ſcriptu
ris ſanctis, ut docti de illo iudi-
cant, eruditus, & ut Tritemius
teſtatur, in ſecularibus literis e-

gregie instructus, acuto ingenio, ac eloquio diserto fuit. Autor ad componẽdum Ecclesiæ, in uarias partes scissæ, dissidiũ, quod non possum non acerbè ferre, accommodatissimus. Qui fidei negotium ita proponit, ut et operum non obliuiscatur bonorũ, quia fides sine operibus mortua est. Similiter ita opera tradit, ut summum fides locum sortiatur. Nam in Epistola Galatis scripta dicit: Quæritur utrum sola fides sufficit Christiano, & non sit maledictus, qui Euangelica præcepta non seruarit Fides sufficit, ut primò credẽtem & iustũ efficiat, si deinceps in iustificatione permaneat. A

con

contentionibus abhorret om-
nino, & ita etiam ſua Commen
taria inſtituit, ut ne aduerſarij
ueritatis, quorum magnus nu-
merus tempore Auguſtini ſup
pullularat, qui ſua errorum ſe-
mina, abſq; ullo pudore, ac ſum
ma diffidētia ſpargebant, ullam
reſponſandi aut calumniãdi oc
caſionem habere poſſent. Di-
gnus eſt Theologus, qui ab om
nibus ob eruditionem multiiu-
gam, in hoc diſſenſionum de
Chriſtiana religione pelago, le-
gatur: quem tibi merito ob flo-
rens ingenium, ob doctrinæ ſa-
cræ ſtudium, ob incredibilem li
terarum bonarum ardorem, ob
mores candidos, nuncupare de

beo, quo extaret mei erga te animi aliquod monumẽtum. Cui enim aliȷ liber iſte inſcribẽdus, quàm illi, qui Cœnobiȷ tam uetuſti, alumnus eſt, quiq́ue ſedulã in ſacris literis operã ita nauat, ut hortatore opus non habeat. Ocium ſiquidem nactus es ad ſtudium theologiæ aptiſſimũ, à Reuerendiſſimo patre, Cœnobiȷ tui præſule, quem nunquam ſatis docti, ſi perrexerit in promouendis ſtudiȷs diuinis, ut cœpit, celebrare queant. Impedimenta uerò quo nulla & tibi & aliȷs commilitonibus obſtarent, quæ à contemplatione Diuinarum rerum auocare animum poſſent, uos in Cœnobium

um

um Auguſtinenſe Colũbariæ, illius celſitudo non intruſit, tanquam in carcerem, in quo perpetuò manendum, ſed placidè ac ſeriò, tanquam ad amœniſſimum gymnaſiũ aliquod, amandauit, præceptorẽ deniq; humaniſſimum, pium & doctum in omni diſciplinarum genere honeſto ſalario conduxit, quo ſtudio literarum ſacrarum toti eſſetis dediti. Ocio tempus fallere, deſidia perire, uoluptatibus corrũpi, ſcortatione pollui, uino inebriari, ſceleratorũ eſt hominũ, non eorum qui Chriſto initiati ſunt. Præterea in mandatis dedit pius pater, ut nihil aliud ageretis, quàm ut ſtrenuam in diſci

plinis omnibus operam, præcipuè autẽ in Theologia, quæ uerè hominem Christianum declarãt, nauaretis, quo tandẽ catholicæ Ecclesiæ, si opus foret, ob ministrorum raritatem, ad spargẽdum uerbi diuini semẽ aptiores, ista exercitatione essetis. Et tempus erit, ni omnia me fallant, in quo proferetis eximias ingenij naturæq́ue uestræ dotes. In bello dilucet boni ducis uirtus, in tempestate nauclerus, ita in opinionum ista inundatione Theologi doctrina exeretur. Hoc est uerè Abbatẽ, multis seculis dignissimum, agere: reliquis quibus Theologicum studium nausea est, calcar addere. Certè illius cel

situdo

ſitudo non immemor eſt Pauli
ni ſcripti ad Timotheum, ubi di
ſcipulum ſuũ inſtruit in ijs, quæ
ad ſalutem conducunt, & Eccle
ſiæ ædificationẽ ſpectant. Præ-
ſcribit enim illi, ut ſit forma fide
lium in ſermone, in conuerſatiõ
ne, in fide, in dilectione, in ſpiri-
tu, in puritate. Vult etiã aptum
ad docẽdum, tenacem eius, qui
ſecũdum doctrinam eſt fidelis
ſermonis, ut potens ſit etiam ex-
hortari per doctrinã ſanam, &
contradicentes conuincere. Vt
autẽ D. Paulum feliciter in ijs,
quæ Theologiæ cãdidatis, non
ſolum in hac Epiſtola, ſed in o-
mnibus ſuis doctrinis, quas ex
fonte Spiritus ſancti hauſit, ſe-

qui poſſimus, opus habemus Chriſtianis & doctis præceptoribus, quibus & D. Paulus nõ caruit. Nónne ad pedes Gamalielis præceptoris ſui ad annos aliquot ſedit, ac diligẽter doctrinam ex Lege & Prophetis propoſitam accepit, ſeruauitq́;? Diſcipuli Chriſti ferè triennio præceptori ſuo ſanctiſſimo adhæſerunt indiuulſi comites, ſalutiferam æternæ uitæ doctrinam diſcentes. Et Ariſtoteles, ut Ethnicum exemplum in medium producã, Philoſophus acutiſſimus Platonẽ audiuit uiginti annos, hoc eſt, ferè ad quadrageſimum uſq; ætatis ſuæ annum. Nec interim ſcholas habuit, ſed ipſe in omni

omnibus disciplinis sese exercuit, inquisiuit, legit, omnes autores excussit, adeo ut propter uarietatem lectionis ac doctrinæ appellaretur à Platone, Lector. Operæprecium autem quo magis animũ tuum, ne cursum Diuini studij semel incœptum derelinquas, incendam, Erasmi nostri admonitionem ijs adiungere, qui qua diligentia præceptores sunt à discipulis audiẽdi, exactè cõscribit. Principio (inquit) caput est, præceptorem interpretantem non attentus modò, sed & auidus auscultato, non cõtentus impigre sequi disserẽtem, aliquoties præuolare contende. Omnia illius dicta memoriæ,

præcipua etiã literis mandabis, fidelissimis uocum custodibus: quibus rursus ita cõfidas caue, ut diues ille ridiculus apud Senecam, qui sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicqd seruorũ quisquam meminisset. Noli committere, ut codices habeas eruditos, ipse ineruditus. Audita ne effluant, aut apud te, aut cũ aliјs retracta. Nec his contentus, aliquã temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memẽto, quam unam D. Aurelius tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere scripsit. Conflictatio quoq; & tãquam palæstra ingeniorum neruos animi præcipuè tum ostendit, tum ex

citat, tum adauget. Nec ſciſcitari, ſi quid dubitas, nec caſtigari, ſi quid errabis, ſit pudor. Nocturnas lucubrationes atque intẽpeſtiua ſtudia fugito: nam & ingenium extinguunt, et ualetudinem uehementer offendunt. Aurora Muſis amica eſt, apta ſtudijs. Pranſus aut lude, aut deambula, aut hilaris cõfabulare. Quid quod inter iſta quoque ſtudijs locus eſſe poteſt? Cibi non quantum libidini, ſed quantum ualetudini ſatis ſit, ſumito. Sub cœnam pauliſper inambula, cœnatus idem facito: ſub ſomnum exquiſiti quippiam, ac dignum memoria legito, de eo cogitantem ſopor opprimat, id experre

ctus à teipſo repoſcas. Plinianũ illud ſemp animo inſideat tuo, Omne perire tempus, quod ſtudio non impertias. Cogita iuuẽta nihil eſſe fugacius, quæ ubi auolarit ſemel, redit nũquã. Hæc Eraſmus. Sed iam hortator eſſe deſino, quũ mihi cognitiſſimũ ſit, te id à præceptore tuo, omni tempore, omni hora, omni momento audire, illarumq́ rerũ ſedulò admoneri. Quod autẽ hũc autorem uetuſtis characteribus ſcriptum, ut ſuprà dixi, tibi nuncupare ſoleo, quẽ ex toto illo ſodalitio optimorũ ac nobilium iuuenũ, qui literis bonis ſtrenue inuigilant, ſelegi (uolui enim etiã reliquis cõmilitonibus, qui tecũ

litera

literaria in palæstra certant,hoc exemplo stimulum addere,quò multis parasangis te in studio literarum breui superent)in caussa fuit Reuerendissimus D. Abbas,princeps dignissimus,bonarum literarum acerrimus assertor,qui me immerentem sempiterna beneficij memoria ita obstrinxit,ut nimis impudens fuero,ac insigniter ingratus,si tam liberalē patronū erga studiosos patiar obliuionis tenebris obliterari:cui etiam hac in re morem non gerere,rustici,ingrati,ac inhumani esset hominis. Accipe itaque hos Primasij in Apocalypsim Ioannis Commentariorū Libros quinq;,hilari uultu,iam

primum

primum prælo noſtro in lucem æditos, ac innumeris ab erroribus, quibus ſcatebãt, ingenti labore purgatos. Nam eo officio utcunq; declarare propẽſionem animi mei erga te uolo: et ſpero, hoc, quod nũc do, pro ſolita tua mãſuetudine non aſpernaberis. Et id quicquid eſt, certus ſum, ſi diligẽter legeris, ſenties magnũ emolumentũ doctrinæ tuæ acceſſiſſe. Nihilq; in præſentia peto, niſi ut pergas ſtrenue melioribus literis ac ſacris ſtudijs fauere, & Robertum inter tuos aſcribas. Habebis nouum amicum, & amantem, & minime oneroſum. Vale. Baſileæ, uigeſima Martij, Anno M. D. XLIIII.

PRIMASII
EPISCOPI AFRICANI
D. AVGVSTINI QVONDAM

diſcipuli, in Commentariorũ libros
quinque in Ioannis Apoſtoli
Apocalypſim, Præfatio
ad Caſtorem uirum
illuſtriſſimum.

IVIS VIR IL-
luſter & religioſe
Caſtor, ſuaſioni-
bus acquieſcens,
ſic librum Apoca
lypſis beati Ioan-
nis multis myſterijs opacatum, in
adiutorio domini noſtri Ieſu Chri-
ſti, licet exiguis ſuſciperem uiribus
exponẽdum, ut non meis tantùm

 ſolis

ſolis fuerim contẽtus inuentis, ſed quanquam numero pauca, ſi qua tamen à ſancto quoq; Auguſtino teſtimonia exinde expoſita fortè reperi, indubitanter adiunxi: ſed etiã à Tychonio quondam Donatiſta, certa, quæ ſano congruunt ſenſui, defloraui: & ex eis, quæ eligenda fuerant, exundantia reprimens, importuna reſecans, & impolita componẽs, catholico moderamine temperaui. Multa quippe in ipſo eius opere reperi & ſuperuacua & inepta, & ſanæ doctrinæ contraria: ita ut & de cauſa, quę inter nos & illos uertitur, ſecundùm prauitatem cordis ſui loca nocentia captare, noſtræq; Eccleſiæ noxia expoſitione putâre mordaciter illudendũ. Nec mirũ, quòd hæreticus rem ſibi congruam fecerit, ſed uel quod inuenire potuit deflorãda, quod tamen

ille

ille facere iniustè tentauit. Nobis cura fuit locorum opportunitatibus nactis ueraciter exequi eorum, qui errorem conuincendo cassare. Sicut enim preciosa in stercore gēma, prudenti debet cura recolligi, & reperta dignitate ingenuè reuocare: ita undecunq; ueritas clareat catholica, defendenda est unitate: huic enim soli competit, quicquid ueritas foris etiam personaret. Iustè nanque fides à perfidis colligit, quod sui iuris esse cognouerit. Nec prodesse potest alienigenis usurpatum, sed filijs, quum iuri matris fuerit redditum. Sic autem Donatistæ hinc extolli non debent, sicut de sermone Caiaphæ, quem dixit, Expedit ut unus homo moriatur pro turba, Iudæi non debent gloriari: sed nec nostris esse debet offensio, si qua enim fuerint ecclesiasticis utili

tatibus profutura, noſtris ſunt inſtructionibus applicanda. Neque attendenda perſona dicentis, ſed qualitas conſiderāda eſt dictionis. Sic Moyſes eruditus omni ſapientia Aegyptiorum poſt Diuini ſermonis adloquium, cuius pridem meruit beari conſortio Iethro ſocerum ſuum, mitiſſimus rudem, peritus ignarū, magiſter copioſæ multitudinis ſingularem, Iſraelita gentilem deuotus audiuit, eiuſq; conſilium ſequens mox utilitatem prædictam inuenit. Quum regendi populi cōmunicanda per multos onera partiretur, ſpecialiter leuigātur. Sic certe ab ethnicis autoribus probabiliter dicta, & Apoſtolicis prædicationibus ſociata, noſtro profectui uſu meliore ceſſerunt, unde tamen non ſinuntur gloriari gentiles. Extenditur autem hoc opus

in

in libros quinque, quorum lectio, qualem studiosis sit latura profectum, experto melius quàm nostra pollicitatione probabitur. Verùm quia pro diuersitatibus opinãtium diuersis me modis arbitror culpandum fore, quum alij de huius operis cœperint prolixitate causari, alij autem libri profunda pensantes, de exiguitate magis censuerint arguendum, tales primos reor sermone placandos, quod satius me fatear de paucitate notandum, eo quod latẽtem ibi mysteriorum plenitudinem diuinorũ, nec penetrare cõpetenter quiuerim, nec ea quidem quæ intelligi potuerunt, idoneo ualuerim sermone proferre. Secundis uero hoc adloquio satisfactionis insinuem, nihil me dominis conseruisq; meis maleuolè subtraxisse, sed ignorantiæ confessione

 ne

ne,de exiguitate malle ueniam po
ſtulare. Si enim experto non crede
rem, ſancti tamen Hieronymi edo
ctus ſentẽtia didiciſſem, qui de hoc
libro docens dicit, Apocalypſis Io
annis tot ibi ſacramenta, quot uer-
ba, parum dixi, inquit, & pro meri-
to uoluminis, laus omnis inferior
eſt, in uerbis ſingulis multiplices la
tent intelligentiæ. His interceden-
tibus, & ueniam humilis confeſſio
promeretur, & præcelſi dignitas li
bri credẽtibus ſaltem, etſi necdum
intelligentibus innoteſcat. Nam
in quum intelligentibus alibi raro in-
terponi ſoleat, tropica proprietate
narratio, hic tamen aut frequẽtior,
aut condenſior figura ſenſus gene-
ratur ex altera, aut una eademq́ꝫ
res ſic uarijs profertur adumbrata
figuris, ut non eadem credatur per
peti potuiſſe, ſed altera, quod & in
prin

principio Ezechielis, & in aliquibus Danielis uiſionibus inuenitur. Sed hæc amplius: pro quare, me infirmum noſtis, ueſtris ampliſſimis orationibus adiuuandum ſpero.

Huius Præfationis finis.

PRIMASII EPISCOPI AFRICANI

Commentariorum Libri V In Ioannis Apostoli Apocalypsim.

TITVLI EXPOSITIO.

DE LIBRO APOcalypsis beati Ioannis, adiuuante Domino, tractaturi, debemus necessariò interpretari titulum, designare locum, narrare sermonem, insinuare personam, ut eius continentia nomine nuncietur, loco dignoscatur & tempore. Per causam, dignitas clareat meritorum. Persona, unum si-

gnificet in collegio cæterorum, cui aſſignari ſpecialiter oporteat munus indultum. Quum enim ſingulos quoſque libros diuerſis conſtet uocabulis titulari epigraphen huius, ideſt ſuperſcriptionem, Apocalypſim decuit appellari. Inter Græcos enim poſitus, licet Hebræus, tenor libri proprietatem Græci ſermonis expreſſit. Apocalypſis enim interpretatur Reuelatio, cui autem dominus Ieſus Chriſtus talia reuelaret ac tanta, niſi illi, quem præ cæteris diſcipulis ſic præcipuo amore dilexit, ut hic adhuc poſitus præſentia corporali ſuper ſuum pectus faceret felici ſorte diſcumbere, & de ipſo uitæ fonte ſpiritali, ueritatis arcana fluenter haurire: ut præeunte huius dilectionis indicio, nulli putaretur dubium, tali Ioannem reuelatione condignum. Magnitudi

nem

nem quippe reuelationis commen
dare primùm decuit, magnitudine
charitatis. Hæc autem eo tempore
uidere promeruit, quo in Pathmos
insula pro Christo à Domitiano Cæ
sare exilio missus, & metallo dam-
natus, terminis arcebatur cõgruè.
Sanè tempus adhibetur et locus, ut
ubi, uel quando humana putaba-
tur uincere custodia, ibi metus hu-
manitatis mente transcẽdens, libe-
ro cõtuitu meruisse uideretur diui-
na: & cui tunc certa terrarũ spacia
negabantur excedere, secreta con-
cederentur cœlestia penetrare. Sic
Christi fides sibi etiam in terris uin
dicat cœlũ, quum bene utens tem-
poralibus malis, bonis fruitur sem-
piternis. Generalia proinde uniuer
salis Ecclesiæ bona, uni quidem re-
uelantur, sed profutura omnibus
prædicantur. Quæ denique solus
uidit

uidit, ſeptem Eccleſiis ſcripta tranſ miſit, ut unus unitatem conſuleret, & non ſibi ſoli, ſed omnibus etiam ſe laboraſſe doceret. Poſtea uerò Euangelium ſcripſit, quum eum poſt Domitiani mortem exilio liberum, multorum precaretur congregatio ſacerdotum, ne falſorum prædicatorum labe decipi ſiuiſſet ignarus. Valentinus enim recentius, & Ebion, multos ſuis falſitatibus irridere iam cœperant, quibus iure caſſandis uiris Euangelij fuerat obice reſiſtendum.

PRIMASII EPISCOPI AFRICANI
Commentariorum Liber I In Ioannis Apoſtoli Apocalypſim.

CAPVT I

APOCALYPSIS Ieſu Chriſti, quã dedit illi Deus palàm facere ſeruis ſuis.] Reuelationẽ Ieſu Chriſti, quam propterea Deus Pater ei dediſſe dicitur, quũ inſeparabilem Patris & Filij opus omne probetur, immo etiam Spiritus ſancti, cuius hic nomen frequenter inſinuat, eo quod etiam in forma ſerui unus idemq́ue & à Patre accipiat, & cum Patre concedat.

Quæ

ante incarnationem, & post ascensionem, Propterea is, qui eum magistrum nouerat in homine suscepto, testimonium perhibuit inuisibile uerbum: ac ut Verbo tantùm sentiendum quisq; putaret nomen Iesu Christi, rursus subiũxit, quod ad suscepti hominis formam pertinere non nescit.

FELIX qui legit, & qui audit uerba Prophetiæ eius, & custodit ea quæ in ea scripta sunt.] Dicẽdo, Qui legit & qui audit, personam doctorum & discentium demonstrauit, ut studio legendi, desidiam remoueret, & seruantibus beatitudinem disponeret, quibus etiã congruunt quæ sequuntur, Seruant ea quæ scripta sunt: quia utrosque seruare competit, utrisque conuenit. Non enim auditores legis, iusti sunt apud Dominum, sed factores

tres legis iustificabuntur.

QVIA tempus iam in proximo est.] Scilicet ut singula quæ dicenda sunt, impleantur, ut plantatæ iam Ecclesiæ propagationis incrementa succedant, de qua loquuturus ista præmittit.

IOANNES septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.) Idest omnes ecclesiæ septiformes. Septenario numero sępe uniuersitas figuratur, eo quod ex primo impari & pari, idest, ternario & quaternario, tanquã ex diuerso, uniuersitas tota cõficitur. Nam & animæ corporisq; diuersitas, ipsam uniuersitatem numeri huius cõplectitur. ad animam enim tria pertinent, ad corpus uerò quatuor. dicitur nanq;, Diligendus Deus ex toto corde & ex tota anima & ex tota mente: corporis autẽ notas habemus, quatuor qua

 lita-

litates, calidam & frigidam, ſiccam & humidam. Propterea etiam canitur, Septies in die laudẽ dixi: quod alibi dicit, Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. &, Sapiẽtia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, & cætera. quibus Eccleſia prædicitur, Orbem poſſeſſura terrarum: quam ſicut unam poſſeſſionem, in hæreditatẽ idem Chriſtus accipit: Dabo, inquit, gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Hinc catholicũ ſingulariter obtinet nomen, eo quod ſecũdùm totum, ſola hæreditariã poſſideat dignitatem. Hanc nunc Ioannes audit ſalutationẽ, quam perpetuam redẽptæ ſperat eſſe ſalutem.

GRATIA uobis & pax ab eo qui eſt, & qui uenturus eſt, omnipotens.) Licet iuxta Apoſtolum, Deus

Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: uel sicuti prætestatur, Qui me misit, mecum est: propter unitatem unius eiusdemq; naturæ, ad personam tamen Filij, hic propriè redigendus est locus. Est enim, quia idem permanet: Erat, qui Patri omnia condidit, non ex Virgine initium sumpsit. Venturus est, ad iudicandum.

ET à septem spiritibus, qui in conspectu throni Dei sunt.) Propter septenariam operationem Spiritus sancti, septiformis Spiritus dicitur, idest sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis & timoris Dei. Vnius enim Spiritus dona, legaliter commendantur, quando à septem spiritibus Pax & gratia, deuotis aptatur.

ET ab Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuo-

rum.) Et in homine ſuſcepto, teſtimoniũ perhibuit à Patre, quum prædicans dicit, Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: quod Iudæis dudum negatũ oſtendit, dicens, Et nomen meum Adonai, non indicaui eis. Credito enim Filio, Patris quoquè notitia nihilo minus reuelatur: nam Filius non diceretur, niſi Patrem haberet, neque Pater, niſi Filium habuiſſet. alter itaq;, alterius prædicatione cognoſcitur: quia Pater in Filio, & Filius in Patre ueraciter approbatur. Qui enim nõ honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. Hinc etiam idem Ioannes in ſua Epiſtola dicit, Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe: qui non credit Filio, mendacem facit eum, quum non credit in teſtimonio, quod teſtificatus eſt

Deus de Filio ſuo. Et ab Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis: paſſus etiã, ſuo nos ſanguine ſoluit à peccato: qui reſurgens, iure primogenitus à mortuis prædicatur.

ET fecit nos Reges, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.) Sicut Petrus Apoſtolus dicit, Gens ſancta, & regale ſacerdotium, genus electum, & cætera.

ECCE uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus.) Qui enim iudicandus primus uenit occultus, iudicaturus ueniet manifeſtus. Videbitur ab incredulis carne, in qua pati uoluit, non deitate, quæ impaſſibilis inuiſibilisq; permanſit, ideo adiecit,

ET qui eum confixerunt, & uidebit eum omnis terra.) Talem omnes etiam terreni, uel omnes generaliter mali, maximè Iudæi, qui

eum ut minimum putauere negandum, quum talem uiderūt, qualem non credebant, ſera ſemetipſos pœnitentia lamentabant.

ET plangent ſe.) Adueniente ſcilicet eo.

ETIAM, amen.) Quod certiſſimè nouit, Deo reuelante, futurum. Interponens Amen, firmat ſine dubitatione futurum.

EGO ſum Alpha & Ω, dicit Dominus Deus, qui eſt & qui erat & qui uenturus eſt omnipotens.) Per quem facta ſunt tempora, nullo defuiſſe tēpore prædicatur, hinc etiam docetur omnipotens.

EGO Ioannes frater ueſter, & particeps in tribulatione & regno & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula Pathmos, propter Verbum Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti, fui in ſpiritu Dei die dominica.)

Vt

Vt quæ præmiſimus approbētur, locum & tempus hic inſinuauit, & cauſam: ac ne carnali phantaſmate putaretur illuſus, in ſpiritu ſe fuiſſe & uidiſſe teſtatur. Quorum autem conuerſatio in cœlis eſt, & qui non ſibi uiuunt, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt & reſurrexit, diem ſemper dominicum credendi ſunt gerere.

ET audiui poſt me uocem magnam ſicut tubam, dicentem mihi, Quæ uides, ſcribe in librum, & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, Smyrnæ, Pergamo, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ & Laodiciæ.) Suſcepto opere puto congruere, ſi omnia non ualemus, certa ſaltem ex ſeptem Eccleſiis nomina perſcrutari, quid interpretata, in noſtra reſonent lingua: ut cum eorum titulo, indicia nobis

certiora patuerunt ſole. Sequentia quocꝫ diuini cõſiderata ſermonis, conueniens ſenſus, ſuis quibuſque perſonis, uel memoratis coaptetur Eccleſiis. Ac primum de Aſia faciendum, in qua tanquam in ſeculo, iſtæ ſeptem enumerentur eccleſiæ.

Aſia enim interpretatur Elatio. Vniuerſa itacꝫ tanquam in huius mundi prouincia, in elatione poſita, commonetur Eccleſia, ut eadem elatione reiecta, leni iugo Chriſti ſubdenda mitis accedat: aut quæ iam cœpit, ampliore pietatis cultu proficiat. Sic Saulus quondam ſuperbus arguitur, ut humilis acquiratur, quando Saulum Dominus increpauit: & uſque adeo Paulum, tãquam paululum reddidit: ut qui nuper lupus rapax prædas in Chriſti diſcipulos anhelabat, Ananiæ, quod interpretatur Ouis deuotus,

colla

colla ſubmitteret, & futurus magiſter humilis, diſcipulatum fidei prædicandæ ſubiret. Epheſum proinde interpretatum dicitur Voluntas, ſiue Conſilium meum. Voluntatem uerò pro charitate poni, conſilium pro correctione negligētiæ, frequēter nouimus adhiberi. Hoc deniq; ibidem claret, quum placita uoluntate, quæ ex charitate mulceant, enarrantur emendanda, meliore conſilio minaciter alligantur.

Pergamum, interpretatum dicitur Diuidenti cornua eorum, uel Diſſecanti uallem in ſermonē. Porrò qui ad eius Angelum fit, duas hominum ſpecies demonſtrauit, in ipſo tenentis fidem, in aliјs autem tenētium doctrinā Nicolaitarum. Nec immerito inter iuſtorū & peccatorū cornua, quod idem nomen reſonat, diuidit: niſi, ut legimus,

 Cor

Cornua peccatorum confringantur, & exaltētur cornua iusti & dissecantis uallem. Discernenda utique fuerat humilitas confessionis, uallis nomine designata ab illorum ruina, qui Satanæ dicuntur doctrinis innexi. Illum enim de solo neglectu debuit pœnitere, illos de graui lapsu exprobare atque compungi.

Sardis, quæ interpretatur Princeps pulchritudinis. In ea quippe ecclesia, electorū memorat dignitatem, dicens, Qui non inquinauerunt uestem suam, mecum ambulabunt in albis. Philadelphiæ interpretatur Saluans hærentem Domino. Propterea ad eius angelum talis sermo dirigitur, quod & se diligi nouerit, & à tentationis hora tuendum. Laodiciæ interpretatum dicitur Tribus amabilis Domino, siue Fuerunt in uomitu. Vbi osten

dit

dit,quid Diuinæ claritatis munere ibidem impendatur,quid uitio humanæ elationis, qui ſe diuites eſſe iactabant,iuſtius imputetur.Denique amabile Dominus dicit, Ego quos amo, arguo & caſtigo. Sed rurſus tepiditatis arguitur,ut tranſgreſſionum fœditate repulſa, amabilis perſeueret,cui & currum ignitum & albam ueſtem cõuerſo promittet:gerẽtibus autem,ibi cor impœnitens,ipſi fuerunt in uomitu, quibus & dicit, Incipiam te ex ore meo euomere,ut nomini ſermo actusq; concordet.

ET conuerſus reſpexi,ut uiderem uocem, quæ mecum loquebatur: & uidi ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem filio hominis.) Ideſt Chriſtum,qui ſe hoc ſæpius nomine uoluit nuncupari,quia Chriſtus indu

tus est ipsa septem candelabra. Siue autem septem candelabra, siue septem stellæ, Ecclesia est. Bene autem, In medio: omnes enim, dicit Psalmus, qui in circuitu eius sunt, offerẽt munera. Vel sicut Ezechiel ait, Vt sciant gentes, quia in medio Israelis ego sum. Sed propter figuratas loquutiones, tropicè causas diuidit, genus in species, ita ut etiam in aliquibus speciebus, genus tantùm inueniatur expressum. Certis nanque locis propter subtiles minutias, & eloquij diuini altitudinẽ, liquidò genus non potest demonstrari, quod facilius uidere, quàm exprimi potest. Diuidet autem genus in parteis hoc modo, ut arca Noe Ecclesia, & octo animæ, quæ intra arcam sunt, Ecclesia, quum unum sunt: & homo Iuda, qui habitãt in Hierusalẽ, & inter uineam

eius

eius,quum Hierusalem & habitan
tes eam & uinea, Domini Ecclesia
sit. Sic enim conclusit, dicens, Vi-
nea enim domini Sabaoth, domus
Israel. Et in domo magna, quod est
Ecclesia, uasa aurea & argentea:
quum eadem uasa sint domus Dei.
Et iterum, Exite de medio eius, qui
fertis uasa Domini: quum qui fe-
rent, ipsi sunt uasa. Et, Quis habita
bit in tabernaculo Dei? innocens
manibus, & mundo corde. quum
aliud tabernaculum Dei non sit in
terris, quàm innocentes, & mundi
corde. Ita & nunc inter septem can
delabra describit Ecclesiam in filio
hominis. Erunt enim, inquit Apo-
stolus, duo in carne una, ego autem
dico in Christo & in Ecclesia. Et ut
suprà dictum est, in aliquibus spe-
ciebus genus apertum est. Aliter si-
milem filio hominis dicit, quũ mor

te

te deuicta aſcendiſſet in cœlũ, adunato corpore Eccleſiæ: quam Apoſtolus meritò in cœleſtibus ſedere dicit, non iam re, ſed adhuc ſpe, quaſi filium hominis ambulantem intermedio candelabrorum aureorum. Intermediã dicit Eccleſiam, ſicut & in Salomone dicit, Inter ſemitam iuſtorũ ambulaui: cuius antiquitas & immortalitas, maieſtatis origo, in capite candor oſtenditur. Veſtitum (inquit) podore, ſacerdotium oſtendit, iuxta Zachariam. Podor enim, ſacerdotalis eſt ueſtis. Singulari quippe ſuæ carnis hoſtia Chriſtus ſacerdotium geſſit, quando ſe crucis patibulo pro nobis offerens Patri, ſe ipſum crucifigi permiſit.

ET erat præcinctus ſupra mamillas zona aurea.) Mamillas duo teſtamenta dicit, ſicut in Cantico

canti

canticorum dicit, Duo ubera tua, ſicut duo hinuli gemelli, qui paſcũ tur inter lilia, & ubera tua ſimilia botri. Poteſt autem in hac ſpecie genus uideri, & in teſtamentis Eccleſiæ intelligi, ut tanquam teſtamenta, ex eo quod efficiunt, cõparationem accipiant: non enim teſtamenta paſcuntur, ſed Eccleſia per teſtamenta nutritur. Huius autem tropi ſpecies in ſcripturis inueniũtur, ut factor, ex eo quod facit, nomen accipiat. Mamillas ergo teſtamenta: zona uerò aurea, corpus ſanctorũ, qui adhærent & amplectũtur teſtamenta, uel Chriſtum, quem concinunt, ſed etiã charitatẽ, qua ſibi nectũtur, Seruãtes, ut ait Apoſtolus, unitatem ſpiritus in uinculo pacis.

CAPVT autem & capilli eius erunt uelut lana alba ut nix.] Capillus albus, præcelſos quoſque iuſti

ſticiæ uirtutibus enitentes. Multitudinem candidatorum dicit, quos ſuper niuem gratia dealbabit. Per lanam, oues quæ ſunt ad dexteram ſignificauit: & per niuem, dealbatorum innumerabilem turbam è cœlo daturum. Ipſi enim ſunt Hieruſalem, quæ quotidie de cœlo deſcẽdit, & adhuc peregrinantes, ad eam tendendo ſuſpirent. Aliter lanam, propter ſtolam ſanctam, quæ de ea conficitur, ſine macula & ruga, rectè ſentitur.

OCVLI eius ut flamma ignis.] Oculus Eccleſiæ, aliquando præcepta Dei dicit, aliquando ſpiritales, ſicut Salomon dicit, Mandatum lucerna, & lex lux. Et de ſpiritalibus Dominus dicit, Vos eſtis lux mundi. Quod autem ipſa præcepta ſint ignis, ſic dicit, Ignitum eloquium tuum ualde. Et de Ioſeph, Præce-

ptum

ptum Domini igniuit eum. Ignis autem hic præceptorum, & fidelibus lumen, & incredulis præbet incendium. Ignis enim ante eum præiuit, & inflammauit in circuitu inimicos eius.

PEDES eius ſimiles aurichalco Libani, ſicut de fornace ignea.) Pedes ignitos, nouiſſimi temporis Eccleſiam dicit. Pedes enim, nouiſſima pars corporis ponitur: tunc enim Eccleſia, uehementia preſſurarum probanda prædicitur. Sicut lapis de monte præciſus, ſtatuã illam in pedibus percuſſit: ideſt regnorũ mundi corpus omne, ſuo contriuit ictu: ſed ideo In pedibus, quia nouiſſimo tẽpore. Aurichalco autem illa ratione cõparauit, quod ex ære ſit, cum igne multo & medicamine adhibito perducitur ad aureum colorem. Ideo autem Libani, quia ele

ctū:interpretantur enim Candidatio. & qđ in Iudæa Libanus mons sit, ubi et Dominus creditur passus, ubi circa finem mūdi corpus Christi persequutionibus examinari significat.

ET uox eius, sicut uox aquarū multarum.) In uoce, Ecclesiam ostendit prædicantem, cui dicit, Clama, ne cesses. Aquæ autem, multi populi sunt: sed & donum baptismi, quod emisit præcepto per Apostolos ad salutem, rectè intelligitur. hinc Psalmus, Dominus diluuiū inhabitat. &, Vox, inqt, Domini sup aquas, Deus maiestatis intonuit: & cætera, quæ huic sensui suffragant.

ET habebat in dextera sua septem stellas.) In dextera Christi est spiritalis Ecclesia: propterea. Astitit regina à dextris tuis in uestitu de albato circùm amicta uarietate: cui

astan

aſtanti dicit, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Iſtæ ſeptem ſtellæ, ſeptem eccleſiæ ſunt, quas nominatim uocat: non quia illæ ſtellæ ſint Eccleſiæ, aut Principes, ſed quod uni dicit, omnibus dicit, in unitate poſitis, ſecundũ prædictam intelligentiæ formam, qua ſeptenario numero unitatem diximus figurari.

ET ex ore eius gladius, utraq; parte acutus exibat.) Ideo bis acutus, quia gladius militem armat, hoſtem necat, deſertorem punit. hinc Apoſtolus dicit, Et gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei. Omnis nanq; ſcriba eruditus, dicit Dominus, ſimilis eſt patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & uetera: nouum uidelicet Teſtamentũ & uetus. Ex hoc autem gemino teſtamento, tanquam gladio bis acu

to, nunc eruditur Ecclesia, ut æterno nis potiatur bonis, ac bene uti præsentibus nouerit. Hoc præcinctus Apostolus gladio, dicit, Per arma iusticiæ à dextris & sinistris.

ET facies eius splēdebat ut sol in uirtute sua.) Splendorē eius manifestam dicit in carne pręsentiam, qua loquebaт̃ hominibus facie ad faciem. Solis autem comparatio, propter significationem cōgruam adhibetur, propter ortum & occasum: & rursus, ortum, quod natus sit, & passus, & resurrexit. Sed & similitudinem gloriæ solis, futuram suæ Ecclesiæ Dominus repromittit, dicens, Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum. Cuius comparatione, capitis Christi claritas magis est intelligēda sublimior, quippe quum iustorum ipse sit claritudo, quam ideo post resurrectio

rectionem ſuis diſcipulis abſcõdit, ne eum nec agnoſcere, nec ſufferre quiuiſſent. Hæc autem non cæcitas debet uel agnoſci uel dici, ſed quædam inuiſibilitas, quæ in Græco ἀορασία aptius uocitatur. Per hanc neq; Heliſæum exercitus, neque oſtium Loth populus ſæuiens agnoſcebat, quũ cætera præter ipſa uiderent. Huius denique clarificationis ſpecimen, in monte ſufferre non ualuerunt.

ET quum uidiſſem eum, cecidi ad pedes eius, tanquam mortuus.) Ioannes qui iſta uidit, totius Eccleſiæ figuram portat: ſed & ſinguli quique Apoſtoli, uel Prophetæ, qui dicunt, Mortui enim eſtis, & ta ueſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Eccleſia ergo tanquam mortua mundo ante Dominum Chriſtum.

 Et

ET posuit super me dexteram suam.) Vtique per sacerdotium, quo Ecclesiæ præpositos nouimus ordinare: siue quia omnis, unius corpus est sacerdotis, dicens,

NOLI timere Ioannes, ego sum primus & nouissimus.) Primus, quia omnia per ipsum facta sunt: nouissimus, quia in ipso instaurantur omnia.

ET fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorum.) Omnis summa & spes consolationis ostenditur, quum dicitur ei, qui tãquam mortuus iacebat, Noli timere: sicut in Euãgelio, Gaudete, inquit, quia uici seculũ: ego sum uiuus, qui fui mortuus. Caput enim corporis similem spem resurrectionis ueraciter pollicetur, cuius præcessio spes est certa membrorum.

ET habeo claues mortis & infero

ſerorum.) Ideſt diaboli & totius corporis eius, ipſum mortis nomine ſignificans: inferorum autem, in quibus regnat, qui omnes Diuini iudicij non effugiunt poteſtatem, tanquam clauem. Et ad Eccleſiam, In me habes, inquit, quas à me acceptas iure poſſides, claues mortis, tu qui es uelut mortuus. Quia licet adhuc peregrinatur Eccleſia, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus uerò uita, propter iuſtificationem. Accepit tamen, ut in Deo ſuo ſoluendi & ligandi habeat facultatem, ſiue quum probabili diſpenſat cuncta iudicio, ſiue quum in accipientibus nulla fides incredulitatis impeditur obſtaculo, Cui, inquit, dimiſeritis peccata, dimittuntur ei: quibus retinueritis, retenta erunt.

SCRIBE ergo quæ uidiſti, &

quæ ſunt,& quæ oportet fieri poſt hæc:ſacramentũ ſeptem ſtellarum, quas uidiſti in dextera mea, & ſeptem cãdelabrorum aureorum:ſeptem ſtellæ, angeli ſunt ſeptem eccleſiarũ:ſed & ſeptem candelabra, ſeptem eccleſiæ ſunt.) Stellas dixit angelos eſſe eccleſiarum, & candelabra Eccleſias, quæ diligenter conſideranda ſunt. Si enim una eſt Eccleſia ſeptiformis, ſicut deſcribitur, Vna eſt columba mea, una eſt perfecta mea:angeli quoqꝫ non erunt ſeptem. Nam ſi ſeptem ſunt, iſtæ ſolæ, quas ſpecialiter nominauit, angelos habent, cæteræ uerò non habent. Nec putandum eſt, quòd angeli ſinguli, ſingulis deputentur hominibus, quod incõgruè ab aliquibus æſtimatur. Sed potius hic Angeli intelligendi ſunt, hi Eccleſiarum rectores populi, qui ſingulis

ecclesiis præsidentes uerbum uitæ cunctis annunciant. Nam & angeli nomen, nuncius interpretatum dicitur.

CAPVT II

ET angelo ecclesiæ Ephesinæ scribe.) Datiuo hic casu Angelo, posuit, non genitiuo: ac si diceret, Scribe angelo huius ecclesię, ut non tam angelum & ecclesiam separatim uideatur dixisse, quàm qui sit angelus, exponere uoluisse: unam uidelicet faciens angeli ecclesiæq́ personam. Quamuis enim sacramenti dispensatione præponatur, compaginis tamē unitate connectitur. Nam hāc regulam à principio seruans, non septem angelis, sed septem ecclesiis scribit: Ioannes inquiēs, septem Ecclesiis, quæ sunt

 in

in Asia. Et Dominus, quem uidit, Scribe (inquit) in libro quæ uidisti, & mitte septem ecclesiis. Postea tamen angelis iubet scribi, ut ostenderet unum esse. Sed etiam si qua singulis particulariter ecclesiis prædicat, uniuersam generaliter cõuenire docetur ecclesiam. Neq; enim dicit, quid Spiritus dicat ecclesiæ, sed ecclesiis. Angelum uerò ecclesiam significans, duas in eo partes ostendit, dum & laudat & increpat. In consequentibus autem manifestatur, non eundem increpare, quem laudat: sicut Dominus in Euangelio, omne præpositorum corpus, unum seruum esse dixit beatum, & nequam, quem ueniens Dominus ipse diuidit, & non totum seruum, sed partem (inquit) eius cum hypocritis ponit. Incipiens ergo bella intestina, & septiformis ecclesiæ di-

uersa opera in præsentibus futura monstrare, non dixit, Scribe quæ sunt, sed Quæ fieri oportet: prædicans usque in finem seculi, malos cum bonis in Ecclesia commisceri, quæ sine dubio amplectēda pro bonis, non tamen est deserenda pro malis.

HAEC dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua.) Idest qui uos in manu habet, suaq́; potestate reget & comminuet.

QVI ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.) Idest in medio uestri.

SCIO opera tua & laborem & tolerantiam, & quia ferre non potes malos, & tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse & non sunt, & inuenisti eos mēdaces, & habuisti patientiam & tolerasti, propter nomen meum, nec defecisti.) Tentasti

ſti (inquit) eos, non tentantur, niſi qui intus ſunt: qui enim foris ſunt, ſine ullo tentamento foris eſſe manifeſti ſunt. Nec eos tentare opus eſt intus, foris'ne ſint, qui non ſolum ex fructibus, ſed etiam ex habitatione loci, tanquam ſchiſmate dignoſcuntur. Non eſt autem laudis, quod eam dixit, malos ferre non poſſe, ſed indicium infirmitatis. In eo uerò laudis, quod dixit, Non potes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum: infirmitatem quippe à longanimitate diſcernens. Non iſtam dicit humano defectu ſuccũbere, ſed illã quæ per ſe non poterat, pro Dei nomine ſubnixa patientiæ robore ſuſtinere. Ad hoc etiã malos dicitur ferre non poſſe, ut cognito non imitaretur: ad hoc autem toleraſſe, ne deſerens ipſa ab unitatis uinculo reddatur alienus. Ille enim repro

reprobus iudicatur, qui propter apertos malos, etiam latentes deserit bonos. Partem porrò angeli inuehitur, dicens,

SED habeo aduersus te, quoniam charitatem tuam primam reliquisti.) Absit, ut eam increparet, quam antea laudabat: sed prædictã retinens regulam, mixtos optimis pessimos, peregrinãtem habere docet Ecclesiam. Alius ergo, qui dilectionem deserit incohatã: alius, qui propter nomen Dei, circa malos seruare dicitur patiẽtiam. Vni denique dicitur, Patientiam habes, & non fecisti: alteri,

MEMENTO unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera: sin autem, ueniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.) Eius hic candelabrũ mouere dicit,

quem

quem ad pœnitentiam inuitat gerendam, quod est angelus hoc candelabrum, cuius partem dicit non auferre, sed de loco mouere, significans eum, qui licet de Ecclesia non præciditur, donec uentilabro ultimi iudicij separetur: propterea tamen salutem, & omne candelabri lumen amisit, etsi charismatibus honoratus uideatur, siue tamen mortuus esse cognoscitur: nam quod in illo uiuit, alienum est. Parte rursus benedicit,

SED hoc habes, quoniam odisti facta Nicolaitarum, sicut ego odiui.) Idest idololatriam, & fornicationem, sicut consequẽter ostendit. Omnes proinde Ecclesias docet, dicens,

QVI habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis, Qui uincet, dabo ei edere de ligno

uitæ

uitæ.) Ideſt de fructu crucis, quod eſt, inquit, in paradiſo Dei mei. Paradiſus etiam Eccleſia intelligi poteſt. Omnia enim in figura facta ſunt. Et Adam, umbra futuri, Apoſtolo dicente, Lignũ uerò uitæ præceſſit, ſapientia Dei dominus Ieſus Chriſtus, qui in cruce pepẽdit, qui & in Eccleſia & in ſpiritali paradiſo uitale alimentum, cœleſtisq; panis præbet fidelibus ſacramentum: de quo legis Sapientia, Lignum uitæ eſt, amplectentibus eam.

ET angelo Eccleſiæ Smyrnæ ſcribe, Hæc dicit primus & nouiſſimus, qui fuerat mortuus & reuixit, Scio tribulationes tuas & paupertatem, ſed diues es.) Omni Eccleſiæ dicit, quę ſpiritu pauper eſt, omnia poſſidet. Vnde & Apoſtolus, Tanquam nihil habẽtes, & omnia poſſidentes, in Chriſto Ieſu domi-

no

no nostro.

ET blasphemaris ab eis, qui se dicunt Iudęos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.) Hic quo ꝗ ostenditur, non speciali tantum ecclesiæ loqui, quia non Smyrnæ tantum fuerũt aut sunt Iudæi blasphemantes. Potest autem gemino modo Iudæorum hic nomen intelligi, siue apertè foras Iudæi, siue intus positi, idest falsi Christiani. Iudæorũ enim religiosum est nomen. Inde Apostolus, Qui in abscondito (inquit) Iudæus, & circumcisio cordis in spiritu, non litera. Item, Quia nos (inquit) sumus circumcisio, qui spiritu Dei seruimus, non in carne fiduciam habentes. Nec ipsos autem nos oportet deserere, quum dicantur etiam synagoga Satanæ, quum norimus Dominum, tolerando usque in finem, Iudam

exem

exemplum nobis patientiæ præbuisse.

NIHIL eorũ timeas, quæ passurus es.) Vtiq; omnem ecclesiam præmonet, ut à toto corpore diaboli nullatenus timeat.

ECCE missurus est diabolus, quosdam ex uobis in carcerem, ut tentemini, & tribulationem habeatis, diebus decem.) Vniuersali ecclesiæ hæc dicta cõueniunt, aduersus quam diabolus inextricabiles inimicitias semper exercet: & propterea, In decem diebus, præsentis uitæ significatur excursus, propter decalogum, in quo breuiter legis summa consistit. Hic enim sunt necessaria diuina præcepta, ubi opus est continentię. Hinc & Dominus dicit, Consenti aduersario tuo, idest legi: quum es cum illo in uia, huius seculi uidelicet: tempus omne

ſignificans, quando contra uarias cupiditatū illecebras, lege inſtruenti coniungitur, ut per Dei gratiam ſubactis carnalibus quinque ſenſibus, qui propter ſexum geminum duplicati decem faciunt, uictoria capiatur.

ESTO fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ.) Qui perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit.

QVI habet aurem audiendi, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis, Qui uicerit, non lædetur à morte ſecunda.) Interdictæ arboris eſus, hanc poſteris procurauit. Chriſtus autem ex lateris ſui ſacrario, aqua & ſanguine profluenti, crucis irrigans lignū: deinde fecit ſalutis primitias germinare, unde originale malum nouerit ſurrexiſſe, dicens, Gaudete, quia uici ſeculum: quocirca

circa ſi quis uincit,in ipſo uincere poterit.

ET angelo eccleſiæ Pergami ſcribe,Hæc dicit,qui habet rhomphæam ex utraque parte acutam.) De gladio bis acuto,ſatis dictũ ſit.

SCIO ubi habitas,ubi thronus Satanæ eſt.) Omni eccleſiæ dicit, quia ubique ille tentator eſt,cui dicitur, Illa tuum obſeruabit caput, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Mundus enim in maligno poſitus eſt. Thronus Satanę homines ſunt, quos nequiter poſſidet. Reuertitur ad ſpeciem, quia licet iſtis ſeptem locis,tota ſeptiformis figuretur eccleſia,geſta ſunt tamẽ in his ſpecialiter,quæ aut laudat,aut increpat.

ET tenes nomen meum,& non negaſti fidem meam:in illis diebus Antipas teſtis meus & fidelis,qui occiſus eſt apud uos.) Apud mul-

tos etiã Christus occiditur, siue qui eum resurrexisse non credunt, siue qui apud se uitijs damnabilibus negant, ubi Satanas inhabitat.

SED habeo pauca aduersus te dicere.) Vtique aduersus alia membra culpanda, non ea quibus dicit, Et non negasti fidem meam.

HABES ibi doctrinam tenentes Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum sub oculis filiorum Israel, edere de sacrificijs, & fornicari.) Hæc duo sunt principalia, quibus fruendis hypocritæ militãt, edere, & fornicari: sicut Dominus dicit, Intus autem pleni estis rapina & incontinentia & omni iniquitate. Idololatria, fornicatio est spiritalis: Perdidisti (inquit) omnes, qui fornicantur abs te.

SIMILITER habes & tu, tenentes doctrinam Nicolaitarum, simi

similiter age pœnitentiam: sin autem, ueniam tibi citò, & pugnabo tecum in rhomphæa oris mei.) Id est, gladio. Pars intelligi debet Ecclesiæ, secundùm præcedentem intelligẽtiæ formam. Rhomphæa autem, utriusq; Testamenti præcepta sunt, quibus contemptores diuinitus expugnantur. Quicunq; enim in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

QVI habet aures, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis, Qui uicerit, dabo ei de manna illa absconsa.) Id est, de pane inuisibili, qui de cœlo descẽdit, qui ideo factus est homo, ut panem angelorum manducaret homo, in cuius figura illud in eremo mãna præcessit: quod qui manducauerũt, ideo mortui à Domino perhibentur, quia increduli permanentes. De hoc abscondito & spi-

 ritali

ritali ſingulariter manna, quod im mortalitatem fidelibus pollicetur, non manducauerunt: quum dicit, Niſi mãducaueritis carnem filĳ hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis æternam. Nam qui etiam illo tunc cibo potuerunt ſpiritaliter paſci, eadem meruerunt immortalitate potiri, ut Moyſes, & cæteri. Eundem enim cibum ſpiritalem, dicente Apoſtolo, manducauerunt: quia non eis obfuit mãna uiſibilis, ſpiritaliter utentibus cibo corporeo: ſicut nec hominibus præſentis temporis proderit ſpiritalis corporis dominici mãna, ſi illud indignè percipient, quia iudicium ſibi manducãt & bibunt.

ET dabo ei calculũ cãdidum.) Ideſt adoptionem filiorũ Dei: nam calculus, gemma precioſa eſt, quæ amore illius margaritę, quam nego

ciator

ciator inueniens, uēditis omnibus comparauit, intelligenda præponi tur. Alia denique translatio marga rita posuit.

ET super calculum, nomen no uum.) Ideſt Chriſtianum: unde le gimus, Et uocabitur tibi nomē no- uum, quod os Domini nominauit. Aliter ſuper baptiſmum addo mar tyrium, quod nemo (inquit) nouit, niſi qui accipit. Hypocritæ enim, li cet habere ſuperficietenus uidean- tur: ipſius tamē uirtutem intelligen tiæ non queunt penetrare. Haben tes (inquit) formam pietatis, uirtu- tem autem eius abnegantes. Hinc idem Ioannes, Qui dicit, quoniam cognoui eum, & mādata eius non ſeruat, mēdax eſt, & ueritas in ipſo non eſt.

ET angelo Eccleſiæ, quæ eſt Thyatiræ ſcribe, Hæc dicit Dei fi-

lius, qui habet oculos ut flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, Scio opera tua & charitatem & fidem & ministerium & patiẽtiam, et nouissima opera tua plura quàm priora.) Hic plenius declaratur in uno ecclesiæ corpore, & bonorum parte laude mulceri, & malorũ increpationibus exprobrari, ubi opera simul, charitatem, fidem, ministerium & patiẽtiam, & laudando approbat & augmento. Insuper, Nouissima dicit, amplificata priorib⁹.

SED habeo aduersum te multa, quod sinis uxorem tuam Hiezabel, quæ se dicit propheten, sinis eã docere, & seducere seruos meos, fornicari & manducare de sacrificijs.) Angelus, idest Ecclesia, nomen est generale. Sed dictorũ qualitas monstrat, cui sermo cõueniat, quam partem, quam speciẽ, quod officium

officium angeli cõueniat,& quem admodum à parte unius corporis ad partem uel ad figurã, à proprietate transeat, & à proprietate ad figurã redeat. Facta sunt ista, & specialiter fuisse cõijcitur mulier in supradicta Ecclesia, ex cuius forma speciali ad generalem totius orbis Hiezabel sermo nũc figurate transfertur. Angelus itaq;, idest ecclesia, quæ adhuc ex probis constat & reprobis, bipertito hic modo cognoscitur. Verũ quia & præpositos habet & populos, idcirco in angelo, prædicatorũ significatur officium, quomodo si quum hominem referimus, aliquid operis peregisse nostri relatu sermonis, singulorũ mõstratur qualitas denunciata membrorum: ut si uerbi gratia uidisse, aut uerba eũ fecisse dicamus, illud ad oculos, hoc ad linguam sine du

 bio

bio redigamus, quod hic Angeli probatur conuenire personæ: siquidem angelus, nuncius esse cognoscitur, cui utpote speculatori, & uidere conuenit corrigenda, & nunciare seruanda. Sic per cætera opera nominata membrorum significantur officia. Quum ergo opera nunc laudat maior, à prioribus omnium generaliter personã inducit. Et quia inter præpositos quoquè sunt etiam negligentes, propterea subinfert quod Hiezabel fornicari permittat, & à sanctorũ specie, quibus potestas diuinitus sinendi, uel cohibendi tribuitur. Ad totam proinde transit ecclesiam. Ideo præpositum constituens reum, non quod ipse fecerit, sed quod fieri siuerit, & permittendo, transgressionis particeps fiat. Propterea sequitur dicẽs,

DEDI ei tempus, ut pœnitentiam

tiā ageret, & pœnitere noluit à fornicatione sua.) Non dixit, Dedi uobis, aut tibi, aut nunquid qui fornicariæ cōsentit, fornicarius ipse non erit, sed quia ab specie transit ad genus. Idcirco ab hoc crimine sic sanctos demonstrat alienos, ut per malorum exprobrationem, membrorū semper uelit manere sollicitos, licet quid eorum agat dextera nesciente sinistra. Quod facile cognoscimus, si à pastoribus greges, & inferiora ab eminentioribus membra, spiritaliter discernamus, uel si suis singula tēporibus coaptemus. Fornicatio autem Hiezabel, & corporale & spiritale adulterium præsignauit, quādo sub Christi nomine fornicationem & idololatriam docebat. Perdidisti enim (inquit) omnes, qui fornicantur abs te.

ECCE mitto illam in lectum, &

eos qui cũ illa mœchati sunt, in maximam tribulationẽ, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis.) Lectus hic datur intelligi, securitas delinquentium, quam sibi per impunitatem criminum sæpe flagitiose promittunt. Quum peccantes experti non fuerint præsentis iræ uindictam, & pœnitẽtiam eatenus negligunt, donec eis repẽtinus superueniat interitus, sicut dolor parturientis, & non effugiunt. A Deo autem in hoc securitatis neglectu mœchari dicuntur, ut latenti quidem, non tamen iniusto iudicio discernantur. De hac securitate alibi legimus, Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorũ perdet illos. Alia trãslatio, luctum pro lecto posuit, quo æternã miseriam designauit, nisi pœnitentiam agerent ab operibus suis.

ET filios eius interficiam morte.) Filios hic posteritatem & opera mulieris figurari cognoscimus. Mortem autem non momentaneã corporis, sed animæ minatur æternã. Memoratis excessibus, nec pœnitentia ulla correctis, non temporalis disciplina, sed æterna pœna deberi, apostolica sæpe testatur autoritas. Neq; enim de illorum numero sunt, de quibus dicitur, Flagellat autem omnẽ filium, quem recipit. Sed de illis, quibus dicitur, Israel iam non irascar tibi, & zelus meus recessit à te: non quod propitiationem fuerant consequuti, sed quia indigni iudicabãtur, temporaliter flagellari.

ET scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutator renũ & cordis.) Nũquid prius quàm Deus prodat adulteros & occidat, nesciunt eccle

siæ

ſiæ Domini, ſcrutatorē eſſe renum & cordis. Aut quomodo poteſt Ecclesia dici, quia exitu rerum & non initium fidei ſuæ, Deum occultorũ eſſe ſcierit cognitorem. Non ergo experientia rerum, ſed certa fide tenendum eſt: non perſpicaci, ſed occulta, idololatras & adulteros morte punire: hos enim, æternæ diei dãnatione plectendos.

ET dabo unicuique ueſtrum, ſecundũ opera ſua.) Non iam tantùm propter te increpat, ſed totum pro toto, cum ſingulis propria pollicetur. Vnuſquiſq; enim, ait Apoſtolus, onus ſuum portabit. Et conuerſus ad partem bonam eiuſdem angeli dicit,

VOBIS autem dico reliquis, qui eſtis Thyatiræ, quotquot non hab ent doctrinam hanc, qui non ſcierũt altitudinem Satanæ, quemadmo

admodum dicunt.) Non cognoui ſtis, pro eo ponitur ac ſi diceret, nullo conſenſu probaſtis. Nam & Dominus illos ſe neſcire teſtatur, quos in ſuam non recepit diſciplinam. Sequitur,

NON mittam ſuper uos aliud pondus, ſed quod habetis, tenete uſque dum uenio.) Hoc eſt, legis pondera non uobis imponam, de quibus Apoſtolus dicit, State, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Ideo & leuis ſarcina, uel lene iugũ Chriſti, per ſpiritũ adoptionis: ſub quo nos perſeuerare uolens, dicit,

SED quod habetis, tenete, uſq; dum ueniam: & qui uicerit, & perſeuerauerit uſque in finem in operibus meis, dabo ei poteſtatem ſuper gentes, et paſcet eas in uirga ferrea, ſicut uas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo.)

In

In Christo habet Ecclesia hanc potestatem, tanquam corpus in capite. Si quis enim dignè corpori eius adhæserit, ueraciter habere dicitur, quòd filius hominis hæreditario iure possedit: in quo secundùm Apostolum, Nobis Deus omnia donauit. Virga ferrea, inflexibilis omnino iusticia regit mites, destruit contumaces.

ET dabo ei stellam matutinã.) Et Christũ intelligi, & resurrectionem primam conuenit accipi: quia & ille apparens, errorum tenebras repulit, & resurrectione properante, mundanæ noctis tenebræ fugabuntur. Hæc enim stella, sicut noctis finem, sic diei præbere uidetur initium.

CAPVT III

ANGELO Ecclesiæ, qui est Sardis, scribe, Hæc dicit, qui habet septẽ spiritus Dei & septem stellas, Scio opera tua, & quia nomen habes, quo uiues, & mortuus es, esto uigilans & stabilis, & confirma reliqua, quæ moritura erant: non enim inuenio opera tua repleta coram Deo: memento quemadmodum acceperas, & audita custodi, & age pœnitentiam.] Nomen (inquit) habes, quia uiues, & mortuus es: non dicitur mori, nisi qui mortale crimẽ cõmiserit: non dicit confirma, quæ moritura erant, nisi ei, qui uiua adhuc aliqua habens in officio suo, in morte peccati non permanere permittitur: non enim confirmare potest, qui officium doctoris amiserit. Non inuenio opera

tura repleta coram Deo. Non enim ſatis eſt, arborem uiuere & uirere, fructus tamẽ debitos non habere: ſic nec ſatis eſt Chriſtianum dici, & idipſum cõfiteri Chriſtum, tamen in opere non habere, ideſt eius præcepta non facere, commẽdat etiam pœnitentiam præcedentium delictorum. Si autem pœnitẽtiam non egeris. ueniam, & ſubitabo aduentum meum.

AD te, quaſi fur ueniam, & neſcies qua hora ueniam ad te.] Ipſa enim ad uicem furis negligẽtes hora præueniet, improuiſa uocatio. Sequitur,

VERVM habes nomina in Sardis, qui non inquinauerũt ueſtem ſuam, & mecum ambulabunt in albis, quia digni ſunt.) Magna laus paucorũ inter multos inquinatos, iugi uirtutum nitore immaculatis

ueſti

uestibus permanere: ad quorũ aditum Deus prouocat, dicens, Qui uicerit, sic uestietur alba ueste. Sciebant utiq; pauci sanctos esse in medio suæ inquinatorum multitudinis: ipsi tamen immaculati permanentes ingemiscebant, iuxta Ezechielem, & mœrebant ob iniquitates, quæ fiebant in medio eorum. Sequitur,

ET non delebo nomen eius de libro uitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.] Sicut & in Euangelio, Confitebor (inquit) & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis, & gaudete, quoniam nomina uestra scripta sunt in cœlis.

ET angelo ecclesiæ, qui est Philadelphię, scribe, Hæc dicit sanctus & uerus, qui habet claues Dauid.) Idest, regiam potestatem. Clauem

ergo Dauid, ſiue quia de eius ſtirpe natus eſt Chriſtus, ſiue quia ipſe Dauid multa eſt de Chriſto præfatus: cuius diſpẽſationem, tanquam claui Legis, Prophetarum, & Pſalmorum arcana patuerunt, ipſo teſte, quũ dicit, Neceſſe eſt implere omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me.

QVI aperit & nemo claudit, & qui claudit & nemo aperit.) Legis diuinæ ſecreta, ſolius Chriſti poteſtate panduntur fidelibus, clauduntur incredulis. Illo autem ſoluente nullus claudet: quo ligante, nullus abſoluet.

ECCE dedi in conſpectu tuo apertum oſtium, quod nemo claudere poteſt, quoniã puſillas habes uires.) Oſtium, quod Chriſtus aperuit, tunc reſerare Eccleſia cœpit, quando ſuis diſcipulis ſenſum aperuit

ruit,ut intelligerẽt Scripturas. Hoc nullius unquã uia, aut nisi præcluditur, quod illis prędicantibus toto mũdo iam panditur: unde & Apostolus, Ostium nobis (inquit) magnum apertum est in Domino, & aduersarij multi. Quod autẽ dicit,

PVSILLAS habes uires, & reseruasti uerbum meum, & non denegasti nomen meum.) Causam ostendit, quod propterea hęc dona promeritur Ecclesia, quia non suis uiribus, sed regis Christi uirtutibus fidet: seq; cõfidens paruas uires habere, non in se, sed in Domino redempta gloriatur.

ECCE dabo de synagoga Satanæ, ex his qui se dicunt Iudæos esse, nec sunt, sed mentiuntur: ecce facturus sum illos uenire ante pedes tuos, & adorare, & scies quia dilexi te, quoniam seruasti uerbum to-

lerantiæ meæ.) Hoc non uni eccle
ſiæ tantũ Philadelphicæ tunc pro-
miſit: reliquum enim, & præcipuè
illud, Circa finem mundi, prænun
ciat, quãdo Iudæi in Chriſtum cre-
dentes, eius Eccleſiæ ſubiugantur,
quæ ueraciter dicit, Mihi alienige-
næ ſubditi ſunt. Nam & Iudęis A-
poſtolus dicit, Quia cæcitas ex par
te contigit in Iſrael, donec plenitu-
do gentium ſubintraret, & ſic om-
nis Iſrael ſaluus fieret.

ET ſcies quia dilexi te.) Quum
tibi uidelicet Iudæos, qui de nobili
tate quondam generis extolleban-
tur, humiles in fide ſubdidero, & tu
cognoſcis, & ipſi, qualem tibi dile-
ctionem exhibeam. Multi enim ex
Iudæis ad Eccleſiam ueniũt, dicen
tes ſicut ſcriptum eſt, Iacta me in u-
nam partem ſacerdotij tui mandu-
care panem.

Quoniam

QVONIAM seruasti uerbum tolerantię meæ, & ego te tuebor ab hora tentationis, quæ uentura est uniuerso orbi terrarum, tentare eos qui inhabitant terram.) Licet intestino externoq; cõflictu indesinenter exerceatur Ecclesia, & siue particulariter singuli, siue generaliter hic impugnentur uariis tentationibus uniuersi, potest tamen hora tentationis etiam tempus Antichristi significare uẽturi, à qua omnem ecclesiam, quæ constat in se, suis liberaturum Christus dominus pollicetur, ut tentatio, ruina, deceptio cognoscatur.

VENIAM citò, tene quod habes, ne quis alius accipiat coronã tuam.) Hic electorum numerum, quos secundùm præpositum uocatos Apostolus memorat, stupenda prorsus consideratione cogno-

ſcimus, quos præſciuit & prædeſti-
nauit conformes fieri imaginis Fi-
lij eius: oſtendens huic numero nec
addi quenquam poſſe, nec minui,
quum ſic iſtum propriã coronam
dicit amittere, ut alius eam perce-
pturus accedat. Vnde intelligitur
nec alium poſſe ſuccedere, ſi quod
ille tenet, perſeueranti fide cuſtodi-
at. Sic etiam Iudæorũ elatione fru-
ſtrata, qui de ſtirpe Abrahæ gloria-
bantur, in ipſorum loco gentes ſal-
uari probantur. Potens eſt enim
Deus, inquit, de lapidibus iſtis ſu-
ſcitare filios Abrahæ, ut & certa
promiſſio maneret ex munere, &
gloriatio carnalis uacuaretur in ge
nere.

QVI uicerit, faciã eum colum
nam in templo Dei mei.) Columna
in fabricis & munimini congruit,
& decori, ſic & mundi uictores in
Eccleſia

Ecclesia eminent nuninine digni tatis, portant officium charitatis.

ET foras, inquit, non exient am plius.) Exierat iunior filius, ideſt gentium populus. Sed illius uituli ſaginati morte, ideſt Chriſti cruore reconciliatus atq; redemptus, foras ultrà non exiet, quippe quem intro duxit Rex in cubiculum ſuum, & quantiſcunq; aut ſchiſmatum, aut perſequutionum arietibus quatia tur, nõ demolietur. Firmum enim fundamentum Dei ſtat, habens ſi gnaculum hoc, Nouit Dominus, qui ſunt eius. Sic & hic,

SCRIBAM ſuper illum nomen Dei mei.) Quod uidelicet Filij Dei per adoptionem dicimur.

ET nomen ciuitatis Dei mei no uæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.) Titulus nominis, eminen

tiam dignitatis & pacis insinuat uisionem. Hierusalem enim interpretatur Visio pacis. Nouæ enim, propter nouitatẽ uitæ, in qua iubemur incedere: hæc autem Christi nomine, quod est super omne nomen. Non ex tempore Filius Dei successit, ut ideo nouũ dici putetur, quũ in eadẽ claritate, Patri semper manserit coæternus, de quo ad eum dicit, Quam habui apud te, prius ꝙ mundus esset. Sed nouum, propter humanitatem, in qua & mori uoluit, & à mortuis resurrexit. Hinc & Propheta, Noua, inquit, facio omnia. & Apostolus, Vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. Hinc etiam meruimus Christiano censeri uocabulo.

ANGELO ecclesiæ Laodiceæ scribe, Hæc dicit qui est, Amen, testis fidelis & uerus.) Quod hic Est, &

& Amen ponitur: animaduerten-
da existimo. Amen quippe inter-
pretatum, dicitur Verum, siue Fide
liter: unde hoc loco, ad illam diuini
tatis essentiã proculdubio redigen
dum est: de qua loquens Deus Mo
ysi, dicit, Sic dices filijs Israel, Qui
est, misit me ad uos. Ipse enim uerè
est, quia semper idem est. Verum
quia in unius Christi persona, su-
scepta quoq; humanitas fuerat præ
dicanda, consequenter dicit,

QVI est initium creaturæ Dei.)
Initiũ quippe creaturæ Dei, domi-
num Christum, propter incarnatio
nis mysterium conuenienter decet
intelligi: ex cuius persona scriptũ le
gimus, Dominus creauit me initio
uiarum suarum. Et Apostolus, Ha
bentes fiduciam in introitu sancto
rum, in sanguine Christi, quam ini
tiauit nobis nouam uiam, & uiuen
tem

tem, per uelamen, ideſt carnem ſuam, et ſacerdotem magnum, uel cætera. Ipſe enim uia, qui patria: ipſe fidei autor, qui etiam conſummator: ipſe Alpha & Ω: ipſe initium, quod nemo præcedit: ipſe finis, cui nullus in regno ſuccedit.

SCIO opera tua, quia neq; frigidus es, neq; feruens es: utinam frigidus eſſes, aut feruens: ſed quia tepidus es, incipiã te ex ore meo uomere, &c.) Poteſt hic quorundam nobilium ſeculi perſona cognoſci: quos ideo nec calidos dicit eſſe, nec frigidos, ſed potius tepidos: quia quum talis copia diuitiarum multa circumfluat, operibus tamen pietatis inueniuntur ſteriles, nec ad opera bona ullo miſerationum accenduntur intuitu. Ideo & pauperes, tanquam frigidi eſſe negantur & feruidi, quia & diuitijs abundant,

quibus tepidè utendo torpescunt, & eas indigentibus non communicando, iustè bonorum operum notantur carere feruore. Sed etiam illorum hic potest significare personam, apud quos in cubiculo scripturæ tractãtur: foris autem utrum fideles sint, ignorantur, & fiducia literaturæ præsumpti, inueniuntur operibus uacui. Ideo neq; frigidos, neq; feruentes illos esse dicit, idest neq; incredulos, neq; fideles: quia huiusmodi tepiditate, idest utrique sui nauseam faciunt. Vomam, inquit, te de ore meo. Sed quia tempus est pœnitentiæ, non sibi blandiantur falso nomine diuitum ac potentum, quorum egestas cæcitas increpatur, et nuditas. Sed audiant consulentem sibi, utrique diuitijs scilicet & scientia pollentes, utrisq; enim conuenit, ut ne ab imis uisce-

ribus

ribus euomantur.

SVADEO tibi emere aurum igni conflatum.) Nunc sibi aurum ement, de quo dicit, Accipite sapientiam sicut aurum, & scientiam sicut argentum electum: et si quid de scripturarum diuinarum fontibus, tanquam sapientiæ lumine radiati haurire potuerint, opere ipso perficiant, siue illi de largitate substantiæ uisceribus pietatis igniti, siue isti de scientia literaturæ spiritaliter informati. Scriptum est enim, Redemptio animæ uiri, diuitiæ suæ. De illis uerò, ab infantia tua sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Bene autem, aurum conflatum dixit, propter pressuram persequutionis, quam si eos cõtigerit pro Christo subire, obtentent deuotè suscipere. Tales enim

de

de magno tepiditatis excidio utili compūctione conuersi, non solum sibi, sed & aliꝭs esse potuerunt fructuosi, ipsi qui sunt aurum tribulationis igne purgatum pariter & decoctum.

VT sis diues, & ueste alba uestiaris, & non appareat in te fœditas nuditatis tuæ, & collyrio unge oculos tuos, ut uideas.) Iusticiæ operibus destitutos, tanquam nudos notat, quos etiam arguit cæcitatis. Ille autem uestimētis albis induitur, qui in baptismate Christo uestitur, & ea fide pollet, quæ per dilectionem operatur. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quum autem collyrio oculos dicit ungendos, inclinandum cor ad diuina testimonia monet. Præceptum enim Domini lucidum, illuminans oculos.

Ego

EGO quos amo, redarguo & castigo.) Flagellat enim omnem filium, quem recipit.

REDI ergo, & age pœnitentiam.) Ostendit esse Laodiceæ, qui fuissent laudabiliter imitãdi, uel alij corrigendi.

ECCE ego sto ante ostium, & pulso, si fortè quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi.) Ostium quippe cordis ad recipiẽdum Christum per fidem & obsequium præceptorum. Sequitur,

ET introibo ad eum, & cœnabo cum eo, et ille mecum in throno meo.) Hinc & Dominus, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, et ad eum ueniemus, inquit, & mansionem apud eum faciemus.

VINCENTI dabo sedere mecum in throno meo, sicut & ego ui

ci, &

ci, & ſedeo cum patre meo in throno eius.] Confeſſorem participem poteſtatis dicit, atq; iudicij, de qua Ioannes, Dedit, inquit, eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neq; ex uolũtate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. Et ſedebitis mecũ ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael.

QVI habet aures audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis.) Hic auris cordis ad mandatorũ obedientiam cõuenit, oſtendit autem quod illa, quæ ſigillatim denominans admonebat Eccleſiam, nunc generaliter eccleſiis allegat prædicanda, deſcriptisq; eccleſiæ operibus, quæ eſſet, & qualis futura prædicari oporteret. Recapitulata Chriſti natiuitate, eadem aliter dicturus.

CAPVT IIII

POstea uidi.) Post ipsam utiq; uisionem se alteram memorat uidisse: non gestorum est diuersum tempus, sed uisionum, ac si quis unam rem diuersis modis enarret, narrationes habebunt diuersum tẽpus, non illud quod uno tempore gestum est: sic totũ tempus ecclesiæ diuersis figuris repetit enarrãdum.

ECCE ostium apertum in cœlo.) Ostium apertum, Christum dicit natum & passum ac suscitatum, qui est ianua, ipso dicẽte, Ego sum ostium. Cœlum, ecclesiam dicit, eo quod sit habitaculum Dei, ubi cœlestia geruntur: hoc est, quod sicut in cœlo uoluntatem Dei, ita fieri postulamus in terra. Aliquãdo autem cœlum & terram Ecclesiam dicit, propter terram, quę cœlo consistit,

siue

ſiue quum infideles rectis fidelium prædicationibus acquiruntur, ſiue quum caro ſpiritui ſubditur, ſiue quum terrena cœleſtibus reconciliata iunguntur.

ECCE uox Dei illa prima, quã audiui, ut tubam loquentem mecum, Aſcende huc, inquit, & oſtendam tibi, quæ fieri oporteat.) Poſt hæc oſtendit uox prædicationem, ideo quaſi tuba exalta uocẽ tuam. Aſcenſus eſt, quũ à deſpecto mundo uenire ad eccleſiam quiſq; compellitur. A conualle autem plorationis aſcenditur ad huius apicem dignitatis. Hinc legimus, Venite, aſcẽdamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas. Sed & fideles, in cœlum inuitantur aſcendere, quando non quæ ſuper terram, ſed cœleſtia appetere iubentur, & ſapere, Nam

& quando rudes in Ecclesia, Christum passum resurrexisse & ascendisse docetur ad Patrem, & super his quisque spiritaliter eruditus & doctus, eundem secũdùm formam Dei contemplatur in Patre, iustè ascendere dicitur, credita mysteriorum secreta uisurus. Hinc Dominus, Noli me tangere, nondum enim ascẽdi ad Patrem, tactam uolens credulitatem intelligi.

STATIM fui in spiritu, & ecce uidi thronum positum in cœlo, & super thronum sedentem, & is qui sedebat, similis uisu erat iaspidi & sardo lapidi.) Isti comparationi Ecclesiæ conueniunt, quam Dominus indutus est. Iaspidis colore aquam, sardus ignem significare puto: quibus duobus, iudicium nouimus celebrare, primum per diluuium, in seculi autem fine per ignem.

Et

ET arcus erat in circuitu throni, ſimilis uiſioni ſmaragdino.) Arcus quoniam poſt diluuium ſecuritatis præceſſit indicio, nunc Eccleſiæ ad propitiandum Deum, conſequenter aptatur. Nam quum nubes imbriferæ ſplendore ſolis fuerint radiatæ, arcus ſpeciem reddũt. Ad cuius comparationem, quum ſole iuſticiæ, Sanctorum animæ, quod eſt Chriſtus, fuerint illuſtratæ, eorum interceſſu diuinitas propitiari dignatur.

ET in circuitu throni ſedilia uigintiquatuor, in quibus ſeniores ſedentes erant uigintiquatuor, circũ amicti ueſte alba, & ſuper capita eorum coronæ aureæ.) Seniores totam eccleſiã dicit, ſicut per Eſaiam, Regnauit Dominus in Sion, & in Hieruſalem, & in conſpectu ſeniorum eius clarificabitur. Vigintiqua

tuor autem præpositos complexus est simul, & populos, tãquam duodecim tribus Israel, duplicans propter geminum Testamentum, quia & in Vetere & in Nouo eadem formatur Ecclesia: idest quoniam Ecclesiam in duodecim ostendit apostolis, omne scilicet corpus præpositorum. Sic inuenimus in descriptione ciuitatis de cœlo descendentis Hierusalem. Isti uigintiquatuor throni, excepta officiorum descriptione, duodecim sunt, quia & præpositi ex duodecim tribubus promouebuntur, & duodecim throni excepto mystico numero, unus est thronus, unde Ecclesia. Solus enim dominus Christus ad iudicandum sessurus est. Sedebit autem, & sedebit Ecclesia, iudicans duodecim tribus, sed in Christo, in quo est tota. Sedebunt, & iudicabunt membra,

sed

ſed in uno & per unum caput. Ali-
ter poſſunt etiam uigintiquatuor
ſeniores in illis intelligi, qui perfe-
ctionem, quæ ſeptenario numero
commẽdatur, clara Euangelij præ-
dicatione conſummant: nam qua-
ter ſeni, uigintiquatuor faciunt.

ET ex illo throno exeunt coru
ſcationes & uoces & tonitrua.) To
nitruis & uocibus prædicatio ueri-
tatis, coruſcationibus miraculorũ
figurantur inſignia: ſicut in Euan-
gelio, Illi autẽ, inquit, profecti præ-
dicauerunt ubiq; Domino coope-
rante, & ſermonem confirmãte, ſe-
quentibus ſignis. Itemq́;, Vox to-
nitrui tui in rota, apparuerunt ful-
gura tua orbi terræ. Hic enim tan-
quam nubibus, præceptis tonanti-
bus, miraculisq́; fulgentibus, mun
dus tremefactus formidauit, & cre-
didit.

ET ſeptem faculæ ignis ardentes erant in conſpectu throni.) Illæ ſeptem faculæ, ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Si ipſe non exponeret, in his ſeptem ardẽtibus faculis Spiritum ſanctum nos intelligere cõueniret: ſiue quod eum, ignearum formam linguarum apoſtolorum principaliter nouimus illuſtraſſe: ſiue propter eius memorabilem ſeptenariã operationem: quanto magis nunc, quando eum ipſe ſubiunxit,

QVI ſunt ſeptem ſpiritus Dei.) Vbi autem conuenientiùs Spiritus ſanctus diceretur adeſſe, quàm in baptiſmatis tempore, quod nunc aquarum uidetur mentione facta ſignari. Hoc enim ſequitur, dicens,

ET in conſpectu throni mare uitreum ſimile cryſtallo.) Mare uitreum intelligitur baptiſmus, ubi corde creditur ad iuſticiã, oris confeſſio

ſeſſio fit ad ſalutem. Propter fidem quippe uerè refertur ad uitrũ. Non enim aliud in uitro uidetur exterius, quàm quod geſtat interius. Nec inaniter in conſpectu throni, hoc baptiſma eſſe commẽdat, niſi quia poſſunt hoc hæretici quoquè foris habere, uel dare. Sic ergo dicit, In conſpectu throni, ſicut Moyſi dictum legimus, Eſt locus penes me: uel ipſe Deuteronomio pręmonet, dicens, In loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ſit nomen eius ibi. Quibus omnibus ſingularem Eccleſiæ declarare nouimus unitatem, ubi baptiſma Trinitatis habere poterat ad ſalutem, quod foras generat, habenti perniciem: non quia malũ eſt, quod datur, ſed quia malè utitur, cui datur, ſicut bucella manu Domini, Iudæ porrecta. Quod autem alia æditio, Ante ſo-

lium, transtulit: mare uitreum esse in solio, potest sedis futuri iudicis præsignari. Salubriter itaque uidemus ante iudicij tempus, salutaris baptismi concedi remediū, ut non reus & nudus, sed iustificatus atque munitus futurū possit inuenire iudicium. Quis enim saluaretur, si mundum Deus baptismo necdum concesso, uellet præuenire iudicio? Crystallo, quia munda & stabilis credulitas figuratur, quæ non circumferatur omni uento doctrinæ, quippe Christo manēs, fundamento subnixa, qui fundauit terram super aquas.

IN medio autem throni, & in circuitu throni, quatuor animalia, plena oculis ante se & retro.) Quatuor animalia, sunt Euangelistæ quatuor, quibus propter cōgruentiam narrationis, in singulis euidēter

ter ſpecialis uidetur coaptari pro-
prietas : ſicut quidam uoluerunt,
Matthæo hominis, Marco leonis,
Lucæ uituli, aquilæ Ioãnis. Quum
autem omnium unum ſit Euange-
lium, ideo quatuor principaliter de
monſtrantur, propter quatuor Pa-
radiſi flumina, quibus orbis irriga-
ri traditur uniuerſus. Sic horũ præ-
dicatione inſtruendus, totus credi-
tur mundus: ſiquidem Eccleſia ſæ-
pe Paradiſus accipi ſolet. Oculos
tamen ſanè ante ſe & retrò, ob hoc
animalia dicunt̃ habere, ſiue quod
luminibus ſciẽtiæ plena, ſiue quod
perfectè Noui & Veteris teſtamen
ti uniuerſa contineant ſacramenta.
Fides enim, quæ gemino Teſtamẽ
to profertur, omnium temporum
complectitur cauſas. Quum ergo
quid antè, in Veteri tantùm teſta-
mento cõgruebat, quid Nouo ſuc-
ceden

cedenti claruerat reuelatum: quidue his docentibus ſperandum fore cognoſcatur, iſtis omnifariè quodã modo animalia probantur fulgere luminibus: præterito nanq; tempore, tãquam anteriora præmiſſa, diſpẽſatio Chriſti domini deputatur. Quæ ſicut prædicta à Prophetis legitur, peracta etiã perdocetur, præſentis credulitatis augmenta, & Eccleſiarum conueniunt incremẽta, futuræ bonorũ malorumq́; diremptioni, qua iuſtos in uitam, impios in pœnam futuros credimus deputatos. His quoq; utriuſque concordiam Teſtamenti nouimus præſignari, quum poſteriora prioribus, ideſt noua ueteribus ijſdem probantur oculis refulgere, & inter ſe plena fide, ueritate concinere: quũ uerbi gratia, in Veteri teſtamento agno occiſo, quinquaginta diebus

pera

peractis datur Lex ad timorem, scripta digito Dei in lapideis tabulis. Nunc quando Pascha nostrum immolatus est Christus: idem iuxta Ioannem, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, peractis quinquaginta diebus, Spiritum sanctum discipulis misit, de cœlo promissum: quem Sacris sæpe paginis, digitum Dei nouimus nuncupatũ, per quẽ uetusta lapidei cordis semota duritia, charitas datur, qua timor foras protinus pellitur, ut Lex, quæ antè infirmis difficilis fuerat, impleretur. Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis: quo operante Deus gratis colitur, non iam timore pœnæ, sed dilectione iustitiæ. Nam & ipsum caput natum & passum resurrexisse, & nunc ad Patris dexteram sedere, & uenturum

rum iudicem solenniter prædicamus. His tanquam luminibus quatuor animaliũ irradiatur Ecclesia, quæ Euangelistis prædicãtibus cognoscitur. Hæc omnia intentum etiam docet, monetq́ Lectorem, quod & in medio throni animalia memoret, & in circuitu throni eadem quatuor animalia: ac si diceret, In medio Ecclesiæ Euãgelium, & per circuitum orbis fructificante Ecclesia, idem Euangelium: quia & si numerus prædicatorum augetur, unius tamen Euangelij ueritas, nullius unquam nouitatis diuersitate mutatur. Idem quippe crescendo perseuerat in orbe, quod intemeratum manet in origine, hoc est, in medio throno, & in circuitu throni. Item quum superius dixerit, uidisse se super thronum sedentem, & in circuitu throni sedilia uiginti

qua

quatuor, in quibus ſeniores erant ſedentes uigintiquatuor, circumamicti ueſte alba, ſubſequitur, In medio (inquit) throno, & in circuitu throni, quatuor animalia. Quũ enim nos uelint aliud ſedentem, aliud quatuor animalia, uocabulorũ diuerſitate cognoſcere: unius tamẽ throni nomine cuncta uidetur hoc loco miſcere, ubi intelligitur, quod Euangelia in ſenioribus, & ſeniores in Euangelijs: neque enim poſſunt ab altero ſeparari. Sic enim po tuerunt eſſe animalia in circuitu ſedis, ubi ſeniores eſſe iam dixerat. In medio quoq; throno, in Chriſti uidelicet corpore, quod eſt Eccleſia: ubi nec ſeniores ſine Euãgelio, nec Euangelium abſque ſenioribus eſſe, ſanus ordo permittitur.

ANIMAL primum ſimile leoni.) Licet ſuperiùs multorum patrum

trum expoſitionem de animalibus maluerim prælocare, ordinẽ tamen hic relationis intendens, quod primum animal ſimile dicit eſſe leoni, Matthęo magis uultum aſſero conuenire leonis, qui & Euangelium in Iudęa primus ſcripſit: & in Chriſto, regiæ dignitatis & proſapiam narrat & gloriam, quam inſigniter prædicat. Hunc denique ordinem beatus etiam Auguſtinus ſuadet aſſequi, dum Matthæo leonis, Marco hominis perſonã aſſignans, qui propriè humana uidetur in Chriſto geſta narraſſe, tertiam uituli, quæ Lucæ congruit, propter uituli ſaginati hoſtiam ſingularem. Porrò autem Ioanni rectiùs aquilæ ſignificatio deputatur, qui uerbi Dei celſitudinem & perſpicaciter uidere, & ueraciter meruit prædicare. Quocirca hinc Eccleſia regiæ ma-

ieſtatis

ieſtatis fortitudine fungitur, & decore, quia uicit leo de tribu Iuda. Catulus enim leonis Iuda, ex cuius tribu reges populo præeſſe ſolebant.

ET ſecundum animal ſimile uitulo.) Hinc Eccleſiæ uirtus in uitulo etiam prima, ſcilicet uictima, illa ratione ſignatur, quia tunc quiſq; fidelium uincit, quando pro Chriſto mactatur. Exhibete, inquit, corpora ueſtra hoſtiam uiuã, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum: ut quod caput pro corpore, corpus mereatur implere pro capite. Propterea & ad Zachariam orſus eſt ſacerdotem.

TERTIVM animal habens faciem, quaſi humanam.) Illam hic humilitatem Eccleſiæ commendare puto, quæ quum ſpiritum adoptionis filiorum Dei perceperit, ha

beatéq; hunc thesaurũ in uasis fictilibus, libenter tamen humilis gloriari mauult in infirmitatibus suis, quàm extolli uirtutibus acquisitis, pie sequens magistri uestigia, qui factus obediens usque ad mortem dicebat, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

QVARTVM animal simile aquilæ uolanti.) Ecclesia, spiritalibus membris cœleste meditãtibus, uolare describitur, quæ uisco nullo terrenę cupiditatis illecta, duorum testamentorum gubernaculis regitur sublimius prouehenda. Nam istis similitudinibus uultuum, Christi quoquè persona conuenienter aptatur, homini uidelicet, quem non imaginaliter, sed propriè ueraciterq; suscepit, tribus uerò residuis, quos figurali comparationis gratia gessit, Ipse est enim leo de tri

bu

bu Iuda, uictor mortis illatæ: quia
leo fortissimus bestiarum ad nulli-
us pauebit occursum. Vitulus, qui
pro mũdi salute mactatus, insignio
re uictima commendatur. Aquila,
quod & desursum ima mortalitatis
nostræ petierit, atque iste hinc rur-
sus ad sedem ascenderet.

ET quatuor animalia habebãt
singula alas senas per circuitum.)
In animalibus ostendit uigintiqua
tuor seniores. Nam senæ alæ qua-
tuor animalium, uigintiquatuor a-
læ sunt. Etenim per circuitum thro
ni uidit animalia, ubi se dixerat se-
niores uidisse. Quomodo autem a-
nimal cum sex alis potest simile es-
se aquilæ, qui habet duas alas? nisi
quia quatuor animalia unum sunt,
qui habent uigintiquatuor alas, in
quibus intelligimus uigintiquatu-
or seniores, quæ sunt Ecclesiæ, quã

ſimulauit aquilæ, quæ ſunt duæ a-
læ, ideſt duo Teſtamenta, quibus
ſubuecta ſurſum attollitur, ne im-
plicita terrenis affectionibus detar
detur. Aliter ſenas alas, propter ſe-
narij numeri perfectionem poſi-
tum arbitror: quia in ſexta ætate, id
eſt adueniente plenitudine tempo-
rum, hæc Apoſtolus peracta com-
memorat: in nouiſſimo enim ani-
mali cõcluſit omnia, quatuor enim
ſunt, ſicut Euangeliſtæ. Vnũquod
que animal & ſuam & trium poſſi
det formam, ſicut per Ezechielem
hæ ſedes & eadem animalia deſcri-
buntur. Vnũquodq; quatuor for-
mas dicit̃ habuiſſe, & illas formas,
quas hic in Apocalypſi leonis, uitu
li, hominis, ac aquilæ, has quatuor
unumquodq; animal habebat: ut ſi
qui unum horum uidiſſet, quatuor
uidiſſet: unde intelligimus, ſingula
in

in ſolidum eſſe. Et rotas eiuſdem throni ita deſcribit, ut una rota quatuor partes mundi reſpiceret, quod eſſet ueluti rota: & eiuſdem facturæ omnes quatuor, ut idem eſſet una quod quatuor, ne eſſet locus ubi non thronus perfectus eſſet, nec ab aliqua parte mundi conuerſus, recederet inde per circuitum, uniuerſum uidelicet orbem poſſeſſura terrarum.

ET erant plena oculis, ante ſe & retro.) Vel ſicut alia translatio dicit, Intus & foris. Intus, eo quod dignè eſſet Euangelij lumen occultum. Si enim opertum eſt, inquit, Euangelium noſtrum, in his qui pereunt eſt obuelatum. Aliter, ante & retro, quod ubicunque fructificans dilatetur Eccleſia, in lumine uultus Dei ambulat, & reuelata facie uultus Dei ſpeculatur. Aliter re

tro alas ſenas, quæ uigintiquatuor ſubſumuntur, Veteris teſtamenti libros inſinuat, quos eiuſdem numeri canonica autoritate ſuſcipimus, tanquam uigintiquatuor ſeniores tribunalia præſidentes. Ideo autem eſt Noui teſtamenti prædicatio fructuoſa, quia teſtimonijs Veteris fulta firmatur. Hoc tenet Eccleſia ante & retro, ideſt & tunc ſub Lege, & nunc ſub gratia.

QVAE non habebant requiem die ac nocte, dicentes, Sanctus, sanctus, ſanctus dominus Deus omnipotens, qui fuit, & eſt, & uenturus eſt.) Quum Eccleſia circumquaque diffuſa ſingulis membris, profeſſionibusque diuerſis, urbibus, regionibus, prouincijs, linguis, & gentibus uarijs, indeſinenter Deum ore & opere, in aduerſis & proſperis laudat, die ac nocte Dominum laudare

dare non cessat, manente intellectualis creaturæ & perpetua in cœlestibus laude super Hierusalē, ad cuius se instar informare, peregrina lætatur Ecclesia.

ET quum dederant illa animalia claritatem & honorem & gratiam sedenti in throno, uiuenti in secula seculorum, statim cadebant in faciem uigintiquatuor seniores in conspectu throni, & adorabant uiuentem in secula seculorum, mittētes coronas suas ante thronum.) Secundùm præmissam intelligentię formam, ex diuersis membris uniuersa ædificare uidetur Ecclesia. Nam quādo animalibus personantibus laudē, idest Euangelistis prædicantibus, & frequētantibus Christi dispensationē, quæ in trium temporū summa consistit uigintiquatuor seniores, idest omnis Ecclesia,

quæ in præpositis constat & populis.

STATIM cadens in faciem adorabit uiuentem in secula seculorum.) Huic denique sensui Paulus Apostolus protestatur, & dicit, Si conueniat uniuersa Ecclesia in unum, & omnes prophetent, intret autem quis infidelis uel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta quoque cordis eius manifesta fiunt, & tunc cadens in faciē adorabit Deum, pronuncians, quòd uerè Deus in uobis est.

MITTENTES coronas suas ante thronum.) Deo uidelicet assignantes quicquid uirtutis, quicquid habeant dignitatis. Illi enim quicquid boni conquiritur, iure tribuitur: à quo ille, qui uicerit, adiuuatur. Cuius in Euangelio actionis

nis figura præcessit, quando præcedens populus Dominum, sterne bat uestimenta sua in uia, accipiensq́ ramos palmarum procedebant obuiam, & dicebant, Benedictus, qui uenit in nomine Domini rex Israel. Victoria coronarũ, palmarum signo aptiùs comparatur, dicentes,

DIGNVS es Domine Deus noster accipere claritatem & honorem & potestatem, quoniam tu creasti omnia, & tua potestate hæc sunt constituta.) Vel sicut alia ædi tione translatum inuenimus, quia tu creasti omnia, & propter uoluntatem tuam erant, & creata sunt: erant scilicet in arte, prius quàm formarentur in opere. Creata sunt autem, ut suis quæque naturis secundùm præscriptos in Dei sapientia terminos, etiam uisibiliter extitissent

ſent. Quæ autem ſequuntur, alterius commate Libri tractanda ſumentur exordio.

LIBRI PRIMI
FINIS.

CAPITA
LIBRI II.

Ventu

Ventura ex gentibus prædicitur memorabilis multitudo. IX

Agnus, qui in medio throni est, reget eos. X

FINIS.

PRIMASII EPI-SCOPI AFRICANI Commẽtariorum Liber II In Ioannis Apoſtoli Apocalypſim.

CAPVT V

LEgem Dei poſſe tribus modis intelligi, poſſe etiam multipliciter, recta duntaxat expoſitione cognoſci, eiuſdẽ teſtimonijs perdocetur. Sicut enim in Salomone legimus, Scribe eã tibi tripliciter: ita in libro Iob ſcriptum meminimus, Atq; utinam Deus loqueretur tecum, & oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quod multiplex eſſet Lex eius. Verum quia uno Spiritu prolata, ſibi

aduer

aduerſari nullatenus poſſunt, probabili ratione utrunq; conſtare facilè demonſtratur. Hoc tantum eſt principali ſollicitudine conſeruandum, ut Sacris uoluminibus exponēdos, illos ſenſus adire conemur, qui nec ab ipſorum locorum ueritate reſiliant: quin potius autoris animū intentione ſobria penetrantes ſalubriter proferant, & qui fidei regulis coaptati, cōſona ſemper ueritati reſpondeant. Neque enim & illud ſibi contrarium uideri putandum eſt, quod quum Spiritus Dei legaliter inſinuetur, unicus uel ſimplex mox perhibetur, etiam multimodus, uel multiplex, ſicut ſe tranſlationum diuerſitas habet. ſimplex utique, ſingulari proprietate naturæ: multiplex, diſtributionibus gratiæ. Vel quū tribus modis legatur, peccatorum remiſſio celebrari, baptiſ-

ptiſmate, pœnitudine, atque marty rio: iuxta Pſalmum, quo canimus, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum: ut baptiſmo remitti, pœnitentia tegi, martyrio non imputari credatur. Alij tamen patres ſeptem modis dixerunt relaxari, addentes eleemoſynas, debiti remiſſionem, acquiſitionem proximi ab errore cohibiti, & abundantia charitatis, per quam cooperiri abũdantiam legimus peccatorum. Poſſunt autem intra illos tres modos, iſti quoq; comprehenſi manere, qui latiùs clareant. Expeditè iſta præmiſerim, ſequentis mox lectionis docebit excurſus. Exponendis nanque locis arduis properantes, nolumus aut temeritatis progreſſu notari, aut paternæ traditionis ob-

liuione

liuioni ab aliquo iudicare.

ET uidi librum in dextera Dei, sedentis super thronum, scriptum intus & foris, signatū signis septem.] In dextera, in Christo dicit: ipse est enim brachium Dei, ipse dextera Patris, siue in summa beatitudine Librum scriptum intus & foris: utrunque Testamentum, à foris Vetus, quod uidebatur, ab intus Nouum, quod intra Vetus latebat. Hinc Apostolus Hebræos adloquitur, dicens, Non enim accessistis ad tractabilem ignem & turbinem & caliginem & procellam & tubæ sonum, & uocem uerborum, quam qui audierunt, excusauerūt se, ne eis fieret uerbum: non enim portabant quod dicebatur, & cætera. Nunc autem spiritalibus spiritalia comparantes, non contemplamur quæ uidentur, sed quæ non uidentur

dentur. quæ enim uidentur, tempo
ralia ſunt, quæ autem non uidẽtur,
ęterna ſunt. Propterea autem unus
liber dicitur, quia nec Nouum ſine
Vetere, nec Vetus ſine Nouo: nam
Vetus, nũcius eſt, uelamen Noui:
& Nouum, adimpletio & reuela-
tio Veteris: quia & Vetus, quam-
uis à foris eſſet, non totum appare-
bat, nõ totum latebat, uelut clariùs
exprimatur. Omnis diſpenſatio ſal
uatoris, libri huius nomine frequẽ-
tatur: quia in utroque Teſtamento
uel promiſſa legitur, uel peracta.

SIGNATVM ſignis ſeptem.] Omnifaria myſteriorum latẽtium plenitudine tectum, inde & à monte umbroſo & condenſo. Et licet ſeptenarius numerus uniuerſitatem ſollicitè complectitur, arbitror tamen ſeptem modos, tanquam ſeptẽ ſigna in Scripturis diuinis, exer

 citio

citio ſpiritali debere quæri, & poſſe neceſſariò reperire, non tãtum pro locorum, quos etiam mundani autores in ſuis dictionibus regulariter, Deo reuelante, animaduertere potuerunt: ſed etiam intelligentiæ ſalutaris, qui ſoli ſpecialiter Chriſto reſerandi dicuntur, manſiſſe repoſiti. Quamdiu enim aquam in illis ſex hydrijs, tanquam ſex ætatibus, idem Dominus conuertiſſet in uinum, ideſt Vetus teſtamentum, intelligẽdum ſpiritaliter perdoceret, nec debilitaſſe feruore ſpiritus Lex quẽquam poterat, & illa ſigna clauſa eatenus permanebãt. Quocirca Sacris diligenter paginis perſcrutatis, ſeptem primùm modos loquutionis uidimus facile comprehẽdi, ideſt indicatiuum, pronunciatiuũ, imperatiuum, optatiuum, coniunctiuum, infinitum, imperſonalem: ut

ut uerbi gratia, indicatiuus ſit in eo quod legimus, Indicabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus quærat ad te: utique diligere iudicium, & facere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Et, Ego dominus Deus tuus docēs te utilia, & gubernans te in uia, qua ambulas. Itemq; quum quæritur, Quis eſt iſte, qui uenit de Edom, tinctis ueſtibus de Boſra? indicando reſpondetur, Ego qui loquor iuſticiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Pronunciatiuus, Audi me Iacob, & Iſrael, quem ego uoco, Ego primus & nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus. Itemq;, Quare dicis Iacob, & loqueris Iſrael, abſcondita eſt uia mea à Domino & à Deo meo, & iudicium meum tranſiit? Nūquid neſcis, aut nō audiſtis, Deus ſempiternus Do

minus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neq; laborauit, nec est inuestigatio sapientiæ eius, qui dat lasso uirtutem? Vel, Ecce dies uenient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamẽtum Nouum. Imperatiuus, Non accipies nomen Dei tui in uanum. &, Non habebis Deos alienos, præter me: uel his similia. &, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam. Optatiuus, Vtinã attendisses mandata mea, facta fuisset sicut lumen pax tua, & iusticia tua sicut gurgites maris. &, Vtinã dirigantur uiæ meæ ad custodiẽdas iustificationes tuas. &, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & uolabo, & requiescam? Coniunctiuus, Si audis uocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de

cun

cunctis populis, mea est enim omnis terra, & uos eritis mihi in signũ sacerdotale, & gens sancta. Et alibi quoq;, Habitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi in populos. Vel, Si stetissent in substantia mea, utique auertissem eos à pessimis cogitationibus suis. Infinitus porrò modus, qui & in ordine sextus est, Scire, & intelligere Dominum, & facere iudicium atq; iusticiam in medio terræ, itemq́; continere à malo intelligentiam. Impersonalis, Quis adiuuet Spiritum Domini? cum quo init consilium, & instruxit eum semita iusticiæ, & uiam prudentiæ ostendit illi? Vel in hoc quod scriptum est, Quis est ex uobis, qui audiat hoc, & attendat & abscultet futura? Et, Quis est homo, qui timeat Dominum? legem statuet ei in uia,

quam elegit. Vel, Intelligere legem sensus est optimus. Et, Quis loquetur potẽtias Domini? Et cætera his similia, quæ singulis poterunt modis congruenter copiosiùs applicare. Hæc, inquam, uerbis facilè reperimus, hoc autem nunc iustus ordo poscit, ut in ipsis propriè rebus, tam quam septem regnis, regulas intelligentię firmas, congruis testimonijs coaptemus, uel ipsa potius testimonia eisdem regulis seruire probabiliter doceamus. Præmissus enim loquutionis locus modum inuenire, etsi congruum utcunq; uideretur, ad illud tamẽ quod quærimus, exiguum iudicatur. Ideo nanque Librum signatũ signis septem dicit, quia secretus altiùs modus, qui ibidem antè latuisse, ipsius autẽ Christi dispẽsatione asserit patuisse, admonetur indagandus. Inquirentibus

bus itaque nobis Scripturam, pri-
mus Hiſtoriæ actionis textus oc-
currit: ſecundus Allegoriæ textus:
tertius utriuſque modus cognoſci-
tur: quartus de incommutabili diui
næ Trinitatis eſſentia, quando pro
priè, quãdo tropicè Sacris inſinua-
tur oraculis: quintus parabolarũ,
qui tam relatu, quàm actu confici-
tur, ut quando aliud dicitur, & ſcri
ptum aliud inuenitur, ad paſtum
ſpiritalis intelligentiæ animus eri-
gatur. ſextus de gemino Saluatoris
aduentu, uel ad eos pertinentia, ne
aut primus pro ſecundo, aut ſecun
dus intelligat̃ pro primo, ubi gran
di intentione regula deſcriptionis
eſt adhibenda: hinc enim & Iudæo
rum mentes, adueniente Domino
caligabant, & nunc uſque eadem
ignorantiæ cæcitate laborant, in-
tantum ut nonnunquam de ipſis

quocꝫ peccatis nihilominus transgressionibus aliquorum Prophetia protendatur operum futurorum, aut secreta spiritualium sensuum. Ille porrò modus, idest septimus, quo sic Diuinis præceptis instruimur, ut certis uitæ agendæ forma, aliȷs uerò uitæ significandæ figura regulariter innotescat, sollicita intentione tractandus est in his, & quid foris scriptum, & quid intus sit de secreto cognoscitur. Sed iam exẽplis prædictos modos nos conuenit edocere. Historicus idem qui primus indicat nobis unum Deum esse, hoc modo, Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Et, quod ab ipso facta sunt omnia, uel his similia. Secundus allegoria, ut est illud, quod Abraham seruum suum tum nouo & insolito obtinet iuramento, dicens, Mitte manum

tuam

tuam ſubter femur meum, & iura mihi per Deum cœli. quod ideo figuratum agnoſcitur, quia non uſu omnium generaliter frequentatur, niſi Abraham & Iacob Propheticis ſpecialiter Patriarchis, de quorum femore Chriſtus ſperaret̃ corporaliter naſciturus. Nam et quod ex omnibus finibus Iſrael puella regi Dauid quæritur, & inuenitur tam feruens, ut algentis membra ſenis congruo fouens calore mulceret, tam caſta ut calefactum ad libidinem non prouocaret. Vel quod populus in eremo ignitis ſerpentibus flagellatus, æneæ cōſpectione ſerpentis, à ſerpentum morſu typicê ſanabatur, & his ſimilia: quæ ſi ad literam diſcuſſa tractentur, ludicra pro tempore putabuntur. Si autem illos, quibus ſeruire iuſſa ſunt, deputanda myſterijs applicentur,

magnarum nobis rerum insinuant sacramenta. In illa nanque uirgine sapientia figuratur, quæ etiam in se nibus non senescit: sed frigescentibus membris dilectos suos intemerato amplexu, uel ampliori etiam igne succendit. Optimè & in serpente æneo, passio Christi saluatoris exprimitur: qui nos à morte ueniens liberare, mortem uoluit suscipere: ut serpentis morsu, idest diaboli, sua morte frustrato, illoq́ destructo, beatæ immortalitatis remedia fidelibus contulisset: quod in Sapientia sic probatur expressum, ubi quum diceret, Morsibus enim peruersorum colubrorum exterminabantur. Sed nondum permansit ira, qui enim conuertebatur, non per hoc quod uidebat, sanabatur: sed per te, omniũ sanatorem. Idem qui hoc Filio Dei euidenter assignans

gnans,ſubiecit,Etenim neque her
ba,neq; malagma ſanabat eos,ſed
tuus Domine ſermo,qui omnia cu
rat. Hoc nanq; idem Dominus ui-
detur exponere,quum dicit, Sicut
Moyſes exaltauit ſerpentem in ere
mo,ita exaltare oportet filium ho-
minis,ut omnis qui credit in eum,
non pereat,ſed habeat uitam æter-
nam. Tertius uterque eſt,ut duos fi
lios Abrahæ,unum de ancilla,alte
rum de libera:ſecundùm Apoſto-
lum, duo Teſtamenta myſticè co-
gnoſcamus:uel quod Iſaac in holo
cauſtum paterna deuotione diſpo-
ſitus,ligna ſibi comportans,Chri-
ſti figurauerit paſſionem:quem Pa
ter pro nobis omnibus tradens,ſi-
bi propriam baiulare paſſus eſt cru
cem. Sed etiam quod ex uirili mu-
lier coſta formata,geſta operis pro-
phetia primi hominis,typicũ Chri-
ſti

ſti Eccleſiæ figurauerit ſacramentum. De illa nanque Adam ſopore conſurgens, dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. quod Apoſtolus exponens, ait, Sacramentum hoc magnũ eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. uel quod ſicut Hieruſalem, eccleſiã præſentis temporis, & cœleſtem matrem omniũ ciuitatem plerunq; ſignificat. Quartus modus eſt, ubi nobis aliquãdo propriè, aliquando tropicè diuinitas Sacris eloquijs inſinuatur. Proprium, ſecundùm Moyſem dicit, Ego ſum, qui ſum, Sic dices filijs Iſrael, Qui eſt, miſit me ad uos. Et per Malachiam, Ego ſum Dominus Deus ueſter, & non mutor. Tropicè autẽ, quod altare Dei gradibus prohibeamus aſcendere, ubi

Trini

Trinitatis totius indiuisibilē æqualemq́ substantiam perdocens, Arrianæ calliditatis commenta euacuauit. Vel quod Esaias dicit, Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Vel quod Abrahæ angelis apparētibus, unus adoratur in tribus: uel cætera huiusmodi, quæ de Deo translata, non propriè accipi solent. Quintus porrò modus, quo quum aliud dicitur, aliud in Sacris paginis inuenitur. Ille est, quod in titulo Psalmi trigesimitertij dicitur, Psalmus ipsi Dauid, quando commutauit uultum suum coràm Abimelech, & dimisit eum, & abijt: quum in libro Regū, corā Achis rege, suum Dauid uultum mutasse legatur, quando tympanizans ad ostia ciuitatis propriumq́ corpus suis manibus portās, & salibus super barbam suam decurrere

currere faciens, uel cætera, tãquam more insanientis exercens, typum dominicæ passionis expressit. Quũ ergo mutato nomine, pro Achis, Abimelech posuit, legentem commonuit, ex ipsius interpretatione nominis latẽs altiùs penetrare mysterium. Abimelech enim interprẽtatum dicitur, Patris mei regnum. Tũc ergo Dei filius Iesus Christus, coràm regno Patris sui, ideſt Iudæis, uultum suum cõmutauit, quando in forma serui humilis ueniens, factus obediens usque ad mortem crucis: quod propriè in tympano figuratur, Iudæorum incredulitate despecta, Gentibus uoluit Euangelium prædicare, ex quibus sibi Ecclesiam conquisiuit. Hoc enim est, Dimisit eum, & abijt. quod apertè Paulus Apostolus dicit, Vobis quidem missum est uerbũ hoc, sed quo-

niam

niam repelliſtis illud, ecce conuerti mur ad Gentes. Vel illud in parabola uineæ, Malos malè perdet, & uineã locabit aliĳs agricolis. Ex hac penè regula illius quoq; loquutionis ſpecimen puto deſcendere, quo legimus, Montes exultauerunt uelut arietes, & colles uelut agni ouium, & flumina plaudent manibus. Itemq;, Ambulauerunt ligna ungere ſuper ſe regem. His autem modis, non quod actu contigit, intimatur, quum hoc utiq; deneget impoſſibilitas naturalis, ſed aliquid per congruam ſignificationẽ tranſlatè deſcribitur. His quoq; modis parabolas rerum à parabolis puto diſcerni uerborũ. Sextus ſanè modus, quo uterque Chriſti dignoſcatur aduẽtus, ideſt quæ ad primum, quæ loca referenda ſint ad ſecundum. Aliud eſt enim uenturum a-

gno

gnoſcere. Primus ſibi humiliationis uindicat loca, ſicuti eſt quod Moyſes dicit, Prophetam uobis ſuſcitabit Deus ex fratribus ueſtris, illum audite, tanquam me. Itemq́ꝫ, Poſt hæc in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Et iterum, Non eſt ſpecies ei, neqꝫ decor, & uidimus eum, & non erat ei aſpectus, deſpectum & nouiſſimum uirorũ uirum doloſum. Et pòſt paululum, Languores noſtros ipſe tulit: & cętera. Et iterum, Sicut agnus ad occiſionem, & ſicut ouis coràm tondente ſine uoce, ſic non aperuit os ſuum. De ſecũdo autem aduentu legimus, Deus manifeſtus ueniet, Deus noſter, & non ſilebit. Et, Aſpiciẽt ad te, quem confixerunt. Malachias quoquè dicit, Accedam ad uos in iudicio, & ero teſtis uelox ſuper maleficos & adulteros & per

iuros

iuros, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & cætera. Quod autem diximus de peccatis quorũdam tunc hominum aliquid sæpe figurare propheticum, ibi maximè intus & foris indicia uidentur emicare signorum, publicum nanque peccatum Dauid de uxore Vriæ Ethæi parebat. Sed de ipsius opere malo, Prophetia nobis boni aliquid figurabat: Bersabeæ quippe interpretatur Puteus satietatis, siue Puteus septimus, quo propriè significatur Ecclesia, quam Christus separato ab eo, occisoq; diabolo, cuius non legitimo consortio tenebatur, sibi ex Gentibus sociauit. De hac etiam in Cantico canticorum legimus, Puteus aquæ uiuæ. cui numero iste coniungitur propter septenariam operationẽ Spiritus sancti, Nam & in nomine Vriæ Ethæi

euidenter oſtenditur diaboli ſigni-
ficari perſonam. Vrias nanque in-
terpretatur Lux mea Dei, Ethæus
autem Abſciſſus, ſiue Quia in ueri
tate non ſtetit: ſed à luce ſua ſuper-
na, quam de Deo habebat, ſuper-
biæ merito abſciſſus eſt, ſiue caden
do uires, uiribus perditis transfigu
rat ſe, uelut angelum lucis, auſus ad
huc dicere, Lux mea Dei eſt. Super
tectum itaque domus unde lauan-
tem ſe mulierem Dauid rex manu
fortis, petulanti oculo uidit, concu
piuit, & abſtulit. Chriſtus antè rex
regum Eccleſiam, lauacro aquæ in
uerbo mundatam, terrena calcan-
tem, cœleſtibus inhiantem, prædе-
ſtinans uidit prouidus uocatam: di
lexit ſponſus, ut iuſtificatã ſibi con
iungeret legibus, coniugio ſpirita-
li maritus. Sicut etiam Moyſes in
perſona Chriſti de aqua ſuſceptus,
Aegy

Aegyptium insidiantem Hebræo, idest diabolum, sub Israelitis in sensum calcis ictum prosternens, sub arena texit occisum. Omnes enim, dicit Apostolus, qui baptizati estis Christũ induistis, in quo faciemus uirtutem, ut confidenter dicamus, In Idumęam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt. Qui cõterens Satanam sub pedibus nostris, eius morticinia in eis tantum latere permittit, quos stabiles non esse cognoscens, mobilitate arenæ ueraciter comparauit. Hoc etiam in Thamar nuru Iudæ, aliisq; compluribus, nouimus fuisse peractum, ut illis culpa cadentibus à Deo, qui nouit benè uti etiã malis nostris, aliud de illis mysterio geratur. Omnia enim illius temporis in eodem populo gesta, prophetiam esse futurorum, docet Aposto

lus, dicens, Omnia enim hæc, in figura contingebant illis. Et licet illi aut purgatorias pro commisso pœnas luerent, aut ueniam pœnitētiæ remedijs impetrarent, nobis tamen Diuina clementia dispensationis Christi præparabat effectum: foris ergo peccata parebāt, intus autem mysteria latebant. Quæ ideo de nu ru Iudæ malui præterire, ne hoc opus multo ampliore longius sermone distendam. De unius denique facto, idest Loth, uxorisq́ eius, quid beatus Augustinus cōtra Faustum Manicheum perorans dixerat, pro generali similiū intellectu locorum huic putaui operi conferendum: dicit enim, Sicut autem aliud genus hominum in eius uxore figuratum est. eorum scilicet, qui post gratiam Dei uocati retrò respiciunt: non sicut Paulus, qui ea quæ retrò sunt, obli

obliuiſcitur, et in ea quæ antè ſunt, extēditur. Vnde & ipſe Dominus, Nemo, inquit, imponens manum ſuper aratrū reſpiciens retrò, aptus eſt regno cœlorū. Nec illud exemplum tacuit, qui nos tanquam ſale condiret, ut non fatui negligeremus, ſed prudenter caueremus hoc malum, unde & illa, ut hoc admoneret, in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. Sic etiam in ipſo Loth, quādo cum illo filiæ concubuerunt, non illud quod quū à Sodomis liberatus eſt, ſed aliud aliquid figuratū eſt: nam tunc ille ipſe Loth, futuræ legis uidetur geſtaſſe perſonam, quam quidam ex illa procreati, & ſub Lege poſiti malè intelligendo, quodam modo inebriant ea, quæ non legitimè utendo, infidelitatis opera pariunt. Bona eſt enim Lex, ait Apoſtolus, ſi quis eam legitimè utatur.

Nec ideo tamen hoc factum, uel ipsius Loth, uel eius filiarum iustificamus: quia significauit aliqd, quod futuram quorūdam peruersitatem pronunciaret. Aliud enim illæ, ut hoc facerent, intenderūt: aliud Deus, qui hoc fieri permisit, ut etiam inde aliquid demonstraret. Manente itaq; recto iudicio suo super peccata hominum tūc præsentium, & uigilanti prouidentia sua pro significatione futurorum. Proinde illud factum, quū in sana Scriptura narratur, prophetia est: quum uerò in illorum uita, qui hoc commiserūt, flagitiū est. Et hæc quidem sanctus Augustinus sic intelligenda præmisit, ut de nuru Iudæ, uel similibus, hoc doceat sentiendum. Septimus proinde modus, qui geminam præceptorum retinet qualitatem, idest uitæ agendæ, ut exempli gratia, Di

liges proximum tuum tanquam te ipſum: qui enim diligit proximum, Legem impleuit. ſicut Apoſtolus plenius diſputat, & uitæ figurandę circumciſionis, & ſabbati, uel carnalium uictimarũ. qui modus cum ſecũdo ſimilis uideatur, illa tamen ratione diſcernitur, quia hic ad mores tantùm, ille ergo ad fidem redigendus eſt. Propterea & Iacobus apoſtolus ab inuicem utrunque diſcernens, dixit, Fides ſi opera non habet, mortua eſt in ſemetipſa: nã circumciſione carnalium detruncatio uitiorum, ſabbato illo requies intelligitur animarum, de qua dicitur, Vacate, & uidete quomodo ego ſum Dominus: uictimas autem ut exhibeatis corpora ueſtra, hoſtiam uiuã, ſanctam, Deo placentem. Alia quippe fuerunt in Veteri teſtamẽto præcepta uitæ actibus ad-

implenda: alia, uitæ ſignificationibus adūbrata. Illis implendis ſuam Chriſtus gratiam porrigit, iſtis ſex modis mouendis prænunciatum, ſuo tempore uoluit pręſentari. Lex enim per Moyſen data eſt, tāquam exteriore in parte foris, ideſt, Non concupiſces: uel potius illud, Poſt concupiſcentias tuas non eas. Gratia & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, tāquam in parte, intus occulta, adueniente plenitudine temporum reuelata. In his nanq;, quæ pro dilectione Dei & proximi apertius iubebantur, licet patens inde mutabilis præcepti forma permanſerit: gratia tamen populus infirmus egebat, quia gemens, ſub legis pondere laborabat. In illis uerò figuratis pecorum uictimis auferendis, agnus ille uenturus expectabatur. Cui repoſita fuiſſe ueraci

ter prænunciabatur, ut ipſo uenien te, in quo ſunt omnes theſauri ſapi entiæ & ſcientiæ abſconditi, uitæ agendæ præcepta, data gratia com plerentur. Figuræ autem tanquam umbra, manifeſta ueritate protinus figurētur. Aliud quippe fuit in Ve teri teſtamento, quod ſic occidenti litera iubebatur, ut uiuificante ſpi- ritu poſſit impleri, ſicuti eſt, Poſt cō cupiſcentias tuas non eas. Vnde & Paulus dicit, Lex enim iram o- peratur. Vbi autem non eſt Lex, non eſt pręuaricatio. Quod licet fo ris ſine tegimine audienti clareret, implere tamen ſuis uiribus huma- na infirmitas non ualebat. Aliud, quod intus myſtico uelamine te- ctum, aduentum Domini flagita- bat, cui exemplar & umbra deſer- uiunt. In illo enim nobis uitæ cœle ſtis forma conſentit, ex cuius fide

Iustus uiuit, illis apertis lex conuincebat reos; prodebat infirmos, ut saluatio quæreretur. Istis uerò significatis, tanquam in interiora uelaminis Christum parturiebant fore uenturũ, quo ueniente, remota celebratio destitit figurarum, quę umbra fuerat futurorum. Nec est ulteriùs quærenda, ex quo ipsius uiui corporis ueritas claruit manifesta. Finis enim Legis Christus, ad iusticiam omni credenti. Ad hoc pertinere puto, illorum bipartitam præceptorum distributionem, de quibus tractans Apostolus dixit, Bona est Lex, si quis eam legitimè utatur. dixerat enim, Finis pręcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Quo dicto, legem Dei euidenter insinuãs, legem quoq; factorum mox expressit, dixit, Iustis non est Lex posita, sed

ſed iniuſtis, impijs et peccatoribus, & cætera: enumerans quæ ſanæ dicit aduerſari doctrinæ. Vnde quæri poteſt, ut ſi Lex iuſto non ponitur, quomodo eam legitimè iuſtus uti dicatur? niſi quia terreri non dicit pœna minantium præceptorũ, qui per gratiam liberè iam fruitur perfectione uirtutum. Iam quippe ei fides impetrauit, quod Lex imperauit. Quod ne ſuis quiſquam uiribus aſſignaret, Apoſtolus dicit, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Oſtenditur quippe in nobis primùm uoluntas infirma per legem, ſed uoluntatem gratia ſanabit, & legem uolũtas impleuit: ideo timore, nolentibus impijs lex imponitur, ut eis impune peccare nõ liceat. Ideo autem iuſtis non imponitur, eo quod ſancti Spiritus charitate percepta, eos ultrà peccare non

non libeat. Vtuntur autem lege iu ſti, at alius uel erudiendus monitis præceptorū, uel informandum imi tabilium forma uirtutum. Sic Apo ſtolus utrunque diſcernit, quum di cit, Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis. Iterum in timore, Sed ac cepiſtis ſpiritum adoptionis filio rum, in quo clamamus, Abba, pa ter. Hoc hortante Apoſtoli cōſilio delectati, etiam licita pòſt ponan tur, potiora deligimus: unde idem ipſe Apoſtolus ait, De uirginibus autem præceptum Domini non ha beo, conſilium autem do, exhorta tione id agens, non præcepto com pellens, monentis Domini magiſte rium ſequens, quo dixit, Qui po teſt capere, capiat. Vnde quia nūc operoſiùs hæc tractari, ſuſcepti o peris non ſinit intentio, hanc inte rim ſpeciem intra hūc modum, tan

quam

quam genere ſuo concluſum, nos dixiſſe ſufficiat, Scriptum intus & foris. Iure porrò quæritur de iſtis ſeptem, quos pręmiſimus modis, qui debeant intus, qui forinſecus reputari. Eſt autem primus hiſtoricus, foris. Secundus allegoricus totus, intus. Tertius, utriuſque geminam in ſe retinet formam, ut & præſentis tunc temporis congruũ ſuppleret officium, & aliquid figuratè gereret futurorum. Quartus de Deo, apud quem non eſt commutatio, nec momenti obumbratio: fide atque pietate uterq; ſenſus intus debet accipi, nam intellectu non poteſt comprehendi. Pax enim Dei, ait Apoſtolus, ſuperat omnem ſenſum: quia & eius ſentẽtia, noſtræ capacitatis metas excedit, & eius clementiam, qua de re tropicè multa narrauit, nullus competenter attingit.

git. Quintus sanè, ubi aliud quàm legitur, inuenitur: uel in parabolis sæpe diffusus, ita est abstrusus, quadam ambiguitate suspectus, ut intus sit modis omnibus reputãdus. Sextus, de gemino Christi aduentu certis claret testimonijs, foras in promptu positus, certis intus latet occultus, ut apertis dubitationem auferat, abditis fideles exerceat, fastidioq; detergat. Septimus, in præceptis uitæ agendæ, sicut iam præmisimus, foras apparet: in præceptis autem uitæ figurandè intus latet. Hinc Daniel quoq; dictum legimus, Claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum, pertrãsibunt plurimi, & multiplex erit scientia.

SIGNATIS signis septem.] Septem quoq; homines interioris ætatis, quibus per gratiam Dei, spi

ritu

ritu mentis ſalubriter innouamur, patres noſtri animaduertere potuerunt. De his in libro De uera religione beatus Auguſtinus ſic dicit, Prima eſt in uberibus utilis hiſtoria, quæ nutrit exemplis. Secunda iam obliuiſcentem humana, & ad diuina tendentem, in qua non autoritatis humanę continetur ſinus: ſed ad ſummam incommutabilem Legem, paſſibus rationis innititur. Tertia, iam fidẽtiorem & carnalem appetitum, rationis robore charitatem gaudentem, quæ intrinſecus, in quadam dulcedine coniugali, quum anima mente copulatur, & uelamento pudoris obnubitur, ut iam rectè uiuere non cogatur: ſed etiam ſi omnes concidant, peccare non libeat. Quarta, iam id ipſum multo firmius ordinatiusq́ facientem, & emicantem in uirum perfectum

ctum, atque aptam & idoneam omnibus & persequutionibus, & mundi huius tẽpestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis. Quintam pacatam, atque omni ex parte tranquillam, uiuentem in opibus & abundantia incommutabilis regni, & summæ atque ineffabilis sapientiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam uitam, & usque ad totam obliuionem uitæ temporalis transeũtem perfectam formam, quæ facta est ad imaginem & similitudinem Dei. Septima enim quies æterna, & nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Vt enim finis ueteris hominis mors est, sic finis noui hominis uita æterna: ille nanque homo peccati est, iste iusticiæ. Hos septem modos, quinetiam gradus, quibus profectu spiritali prouehimur, idem doctor amplissimus

pliſſimus Auguſtinus multis me-
morat locis: ad Maximum deniq;
ſcribens, dicit, Sic præceptis Dei,
quæ ut bene agamus, accipimus, ui
tam tuam moresq; conformes, à re
ligioſo timore incipiens. Initium
enim ſapientiæ timor Domini, ubi
frangitur & debilitatur humana ſu
perbia. Deinde, ut pietate manſue-
tus, & mitis etiam, quæ nōdum in-
telligis, & quæ imperitis uidentur
abſurda, ſibiq; contraria in Scriptu
ris ſanctis, non obluctêris animoſa
cōtētione: nec ſuperimponas ſen
ſum tuum ſenſibus Diuinorum li-
brorum, ſed cedas potius, atq; intel
lectum mitis differas, quàm ſecre-
tum immitis accuſes. Tertiò, quum
tibi ad cognitionem tui aperire cœ
perit infirmitas humana, & ſcieris
ubi iaceas, quàm pœnalia uincula
mortalitatis de Adam propagatus

tecum trahas, & quàm longè peregrineris à Domino: atq; peruideris aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, & captiuum te ducentem in legem peccati, quæ eſt in membris tuis, exclames, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? ut te lugentem conſoletur, liberationem ipſam pollicens, Gratia Dei, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quartò, deſiderare implere iuſticiam, multò uehementius atque feruentius, quàm à nequiſſimis hominibus uoluptates carnis deſiderari ſolent: niſi quòd in ſpe adiutorij diuini, eſt in iſto appetitu tranquillus amor, et flamma ſecurior. In iſto autem quarto uitæ gradu, orationibus inſtanter incumbitur, ut eſurientibus & ſitientibus ſaturitas iuſticiæ concedatur, ut non ſolùm onerosum

rosum non sit, uerum etiam delectet abstinere à uoluptate omnis corruptionis, siue suę, siue alterius, uel obluctando, uel aduersando, quod ut facilè diuinitus tribuatur. Quintus, adiungitur consilium exhibendi misericordiam, ut in eo, quod potes, adiuues inopem: qui in eo, quod nondum potes, ab omnipotente adiuuari cupis. Munus autem misericordiæ geminum est, quum uindicta donatur, & quum humanitas exhibetur: quæ duo breuiter Dominus ita complexus est, Dimittite, & dimittetur uobis: date, & dabitur uobis. Hoc autem opus, etiam ad mũdationem cordis ualet, ut quantum in hac uita licet, incommutabilem Dei substantiam pura intelligẽtia cernere ualeamus. Tenet̃ enim aliquid aduersus nos, quod relaxandum est, ut acies nostra

ſtra rumpat in lucem. Vnde ipſe
Dominus, Verùm date(inquit)ele
emoſynam, & ecce, omnia munda
ſunt uobis. Quapropter ſexta con-
ſequitur, cordis ipſa mundatio.
Quod autem in lucem ueram re-
ctus & purus dirigatur aſpectus,
neq; illa, quæ bene atq; laudabiliter
facimus, neq; illa, quæ acutè ſagaci
terq; diſpicimus ad finem placendi
hominibus, uel ſubueniendi neceſ
ſitatibus corporis, referenda ſunt,
gratis enim ſe uult Deus coli: quia
neq; quicquam eſt, præter ipſum,
propter quod ipſe appetendus eſt.
Quum ad iſtam intelligentiæ puri-
tatem, bonæ uitæ gradibus ueneri-
mus, ſiue tardius, ſiue celerius tunc
dicere audeamus, ualere nos ali-
quantum menti contingere, ſum-
mæ atq; ineffabilis Trinitatis unita
tem, ubi ſumma pax erit: quia ultrà
quod

quod expectatur, non eſt. quum reformati ad ſui generis imaginem filij Dei ex hominibus facti, paterna incõmutabilitate perfruuntur. Primus enim, Beati pauperes ſpiritu: ubi timor Dei eſt. deinde, Beati mites: ubi pietas docibilis. tertiò, Beati lugentes: ubi ſciētia propriæ infirmitatis. quartò, Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam: ubi fortitudo conandi domitas habere libidines. quintò, Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus: ubi conſilium eſt adiuuandi, ut adiuuari mere[illegible]is. Tunc ad ſextum peruenitur gradũ, in quo dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt: ubi purus intellectus laudabilis, ad intelligendum quantulacunq; ex parte Trinitatẽ, ſeruari non poteſt, niſi & laudem humanam non appetamus, quam-

 uis

uis laudanda faciamus. Proinde se-ptimo gradu peruenimus ad pacis illius tranquillitatem. quam dare non poteſt mundus. Nam etiam illis uirtutibus quatuor, quas memorabili pridem induſtria philoſophi quoquè indagare potuerunt, ideſt prudentiæ, fortitudini, temperantiæ atq; iuſticiæ, ſi ad perfectum religionis cultum tria hæc iungentes addamus, ideſt fidem, ſpem, charitatem, ſeptenariũ profectò numerum inuenimus. Rectè enim hæc tria non omittuntur, ſine quibus nec Deum colere, nec ei quẽquam nouimus poſſe placere. Quæ quũ ita ſint, ſiue ſcientia ſalutaris, arcanaq; uoluminibus Sacris indita, in illis ſeptem modis, tãquam ſeptem ſignis, latentia umbroſiùs opacantur: ſiue omnis ſumma perfectioq; uirtutum, quibus homo interiori-

bus

bus proficit incrementis, non indiſ
crete confuſis, ſed gradatim ſpirita
liter ordinatis: ſiue promiſſum ſalu
tis æternæ ſubſidium Chriſto do-
mino miſericorditer patiente, uera
citer reſurgente, mirabiliter aſcen-
dente, & ſemper in ſingulis operan
te & reuelari & cognoſci, & acqui-
ri & perfici potuiſſe uel poſſe co-
gnoſcitur, illa ſigna in ipſo & per
ipſum reuelata atq; perfecta uera-
citer prędicatur. Quod teſtimoniȷs
æſtimo perdocendum : intra alia
enim ſic dicit Apoſtolus, Myſteri-
um quod abſconditum eſt à ſeculis
& generationibus, nunc autem ma
nifeſtatum eſt Sanctis eius, quibus
uoluit Deus notas facere iuſticias
gloriæ ſacramenti huius in Genti-
bus, quod eſt Chriſtus in uobis,
ſpes charitatis, quem nos annunci-
amus, corripientes omnem homi-

nem, & annunciantes & docentes in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominē perfectū in Christo: quod & laboro, contendens ſecundùm operationem eius, quam operatur in me, in uirtute. In Veteri autem dicit Dominus, Dominus creauit me in initio uiarū ſuarum. Quum itaque ipſe ſit principaliter uia, in qua nobis eſt ſalubriter ambulandū, ab ipſo nihilominus uiā, ideſt perfectum gradum, & inſtituta uiuendi, & legalium myſteriorum arcana aperire nouimus, atq; conferri.

ET uidi angelum fortem, prædicantē uoce magna, & dicentem, Quis dignus eſt aperire librum, & ſoluere ſignacula eius?] Angelum fortem, Legis præconium dicit: ſiquidem eandem Legem in edictis angelorum datam, ſancto Stephano

no tractante meminimus & acceptam, nec tamen ab omni populo custoditã. Cuius nunc præco flagitans iure custodiam, nullum eius apertione dignum se inuenisse restatur. Quum autem primò signa soluantur, deinde liber aperiatur, certa ratione præposterauit usitatum ordinem, quia tunc Christus aperuit librum, quum opus uoluntariæ passionis impleuit, soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum in decretis euacuans, utriusque Testamenti præconia in seipso perfici comprobauit: templiq; uelo, sua passione rescisso, tãquam remoto regalium figurarum uelamento, signa septem, ideſt omnia diuinæ legis profunda mysteria reuelasse, affectu pariter & actu probatur.

ET nemo poterat, neq; in cœ-

lo.] Nullus proinde dignus dicitur fuisse repertus, neque in cœlo: hoc angelicam scilicet significans excedere facultatem, non quod futurum dominicæ incarnationis & dispensationis mysterium Angeli ignorarẽt, sed quod per angelicam creaturam implendum non esset. Homines enim redempturus Filius Dei, uera humanitate suscepta, cũcta per se uoluit adimplere. hinc Esaias, Non angelus (inquit) non legatus, sed ipse Dominus saluos facit eos.

NEQVE super terram.] Nullus utiq; etiam perfectè iustorum, in hac uita morantium. Reficiendus enim homo, solius Creatoris egebat auxilio. Neque sub terra, nullus Sanctorum etiam defunctorum, librum aperire dignus inuentus est.

Sed

SED neque perſpicere eum.) Perſpicere, dicit comprehendere: unde Paulus, incomprehenſibiles dicit diuitias Chriſti, ſe Gentibus prædicare, de quibus Dominus dicit, & cætera: ideſt claritatem Noui teſtamenti, quæ in Lege latebat, & quam ſua Chriſtus præſentia reſeruauerat. Nullus ſic idoneo potuit uiſu cõſpicere, ut ualeret actu quoque peragere, eo quod eam ſua Chriſtus diſpenſatione potuit adimplere. Ab illis enim prouideri tantùm potuit, non etiam perfici.

ET ego flebam multum, quod nemo dignus inuentus eſſet, qui aperiret librum, aut ſolueret ſignacula eius.) Eccleſia in Ioanne flebat grauata oneribus peccatorum, implorans ſui redemptionem, quæ in illius apertione libri conſiſtere demonſtratur.

Et

ET unus ex ſenioribus dicit mihi, Ne fleueris: ecce uicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librũ & ſeptem ſignacula eius.) Vnum ex ſenioribus totũ corpus prophetarum agnoſcimus, quorum certis Eccleſia conſolabat̃ oraculis, Chriſtum de tribu Iuda, mundum ſuo ſanguine redempturũ, de quo præ dictum legimus. Catulus leonis Iuda ad prædam, fili mi, aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? Idem quippe agnus dicitur ut leo, qui in innocẽtia mortem deuotè ſuſcepit, & potentia ſuſceptam occidit: cui iuſtas pridem minas ueraciter intentauit, dicẽs per Oſeam, O mors ero mors tua, morſus tuus ero, inferne. Et Eſaias, Ecce radix Ieſſe, aſcendet in ſalutem populorum, ipſum Gentes deprecabuntur, & erit ſepul

ſepulchrum eius glorioſum. Nam & particulariter quiſque fidelium, quum ſua ſtudet flere peccata, & promiſſa redẽptionis meminit, per cõſolationem Scripturarum, ſpem æternæ ſalutis habere cognoſcitur. Ab uno ſeniore ſimili, ut ita dicã, reſponſo firmatur. Propterea autem præterita refert, quum hæc futura promiſerit, quia & ſubtiliter Chriſtus in præteritis futura demonſtrat.

ET uidi in medio throni, & in medio quatuor animalium, & ſeniorum.) Quod eſt thronus, hoc animalia, hoc ſeniores, ideſt Eccleſia. In medio enim Eccleſiæ eſt, quod ſequitur & deſcribit, dicens,

AGNVM ſtantem, quaſi occiſum.) Quoties enim occiſus Chriſtus in medio Eccleſiæ prædicatur, toties idẽ agnus propter mundi cri

mina

mina, quaſi immolari uidetur: quia & rudibus ignota panduntur, & fidelium memoria per deuotum cultum ſculpitur. Nam etiam quando Eccleſia, quam Chriſtus induit, ſe ipſam mortificat, munda ut uiuat Deo, Agnus dicitur immolare, tanquam pro corpore caput. Denique ſequitur,

HABENTEM cornua ſeptem & oculos ſeptem.) Quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi per orbem terrarum. Diuerſitas uocabulorum unum proferre docuit intellectum: cornibus enim ſignificans excellentiſſima ſancti Spiritus munera, quibus per orbem in ſua Chriſtus regnat Eccleſia. Sequitur,

QVI ſunt ſeptem ſpiritus.) Non eſt enim qui per orbem terrarum iuſta eminentia principetur, quique Spiritus ſancti munere dilatato

tato ſpecialiter glorietur, niſi Eccleſia Christi, ſeptem ſanè pro uniuerſo poni, dictum meminimus. Verùm quia cornua ſuper caput ſunt, rectè exaltatio ſingularis, Eccleſia ſuper Chriſtũ collocatur: propterea, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ac ſi diceret, Super me ædificabo te. Spiritus autẽ Domini repleuit orbem terrarum: quod ut fieret, confractis cornibus peccatorum, exaltari dicuntur cornua iuſti: de quo Eſaias prędixerat, A finibus terræ laudes audiuimus, annũciantes gloriam iuſti. Septem ergo cornua habere, tanquam omnem mundum intelligitur poſſidere, in quo ſeptiformis Spiritus gratia principatur, propter memorabilem eius operationẽ ſeptenariam, quam hic propter illuminationem oculos memorat: de quibus Zacha-

riam dixisse puto, Septem isti oculi Domini, qui discurrunt in omnem terram. Sed & ipsius excellentiæ dignitatem non incongruè cornibus uidetur exprimere. Cornua enim, naturalia locorum iura tanquam rumpendo nascuntur, nec carnis æqualitate contenta residunt: sed crescendo, altiora magis ac magis petunt. Spiritalis enim omnia iudicat, ipse autem à nemine iudicatur: nec iudicare quenquam possit, nisi non iam carnalis in corpore, quadam præstantiore specula sublimatus cæteris præsideret. Hinc Apostolus, Vos (inquit) in carne non estis, sed in spiritu.

ET uenit, & accepit librum de dextera Dei sedentis in throno.) Librum de dextera Dei, dispensationem ipsam à Patre, & à seipso dispositam accepisse filius hominis dicitur

citur, quia uterque cum ſpiritu ſuo in throno habitat. Dexteram hic etiam pro felicitate uictoriæ debemus accipere. Nec carnaliter intelligi debet, tanquam de alia Patris dextera librum dicatur accipere, quum idem Filius Patris, idemq; ipſe ſit dextera: ſed qui ſemper uincit in ſuis, qui dicit, Gaudete, quia uici ſeculum: ſuamq; Eccleſiam, uictricem facit exiſtere, de ipſa declaratur librum accipere.

ET quum accepiſſet librum, quatuor animalia & uigintiquatuor ſeniores proſtrauerunt ſe ante agnum, habentes ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramẽtis ſupplicationum, quæ ſunt orationes Sanctorum.) Animalia & ſeniores, omnis Eccleſia cadet ante agnum, non ſine peractarum narratione uirtutum. Ideo habẽtes ſin-

 guli

guli citharas, & phialas aureas: citharas, in quibus lignum imminentes chordæ tenduntur, Christi passio figuratur, quam pro Christo Ecclesia iugiter imitatur: iuxta Apostolum, Adimpleat ea, quæ desunt Christi passionũ in carne sua. Phialas, accepta Deo pia confessio, ubi non duplici quicquam corde claudatur, sed affectu patulo reseratur. Hæc sunt etiam uasa aurea in domo magna boni odoris, Christi sua uitate fragrantia. Orationes porrò sanctorum, gratiarũ actiones sunt, congratulantium pro mundi salute, & intercessiones pro paruulorũ stabilitate. Christus, inquit, pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur uestigia eius. Quando igitur qui sunt Christi, carnem suam crucifigunt cum uitijs & concupiscentijs, tanquam

citha

citharis cõcinunt Christo, ut quod ipse pro eis, illi pro ipso aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui quũ se illis septem insignibus titulis reuelare uoluit, agnoscẽdum re certa probatur. Septem patefecisse signa dicitur, quũ se coæternum Patri Deum docuit, qui natus de uirgine hominem gessit, passus etiã resurrexit, in cœlum ascendit, sancto Spiritu misso Ecclesiam etiam ex Gentibus acquisiuit, sequuturum iudicem nũciauit. Quid deniq; Esaias dicat Iudæis, Attende, erunt uobis uerba omnia hæc, tanquam uerba libri signati, ubi literarum peritum, pariter & ignarum scientiæ dicit fructu fraudare: quum & ille signis prohibetur interiora penetrare secreta, & ille præpeditur ignorantia, hanc scientiæ clauem principes Iudæorum

 Domi

Dominus increpat abſtuliſſe, dicens, Væ uobis legis doctores, qui abſtuliſtis clauem ſcientię, ipſi non introiſtis, & introeuntes non ſinetis intrare. Negantes enim Chriſtum, cuius aduentus opus eſt Prophetarum, clauem ſcientiæ auferebant, cognitionem quippe Legis, quia Chriſtum continet fides, negata præcludit.

ET cantãtes canticũ nouum.) Conſona utriuſque Teſtamenti ueritate, nouum Chriſti cãticum reddidit, quãdo idem in principio permanens Verbum, nouo ortu per Virginem genitus, nouo more indutus hominem Deus, poteſtate propria occidentib⁹ traditus, à morte mirabiliter ſuſcitatus, ſuper cœlos, quando uoluit, eleuatur. Miſſo Spiritu ſancto Gentes acquirens, nouum his omnibus Eccleſiæ conquiſitæ

quiſitæ canticum dereliquit iugiter decantandum, quo ſecura poſſit iudicem ſperare uenturum, ut in nouitate uitæ ambulemus, dicens, Si quis uult meus eſſe diſcipulus, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

DICENTES, Dignus es accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, et redemiſti nos Deo ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione, & feciſti nos regnũ Deo noſtro, & ſacerdotes, & regnauimus ſuper terram.) Illam ipſi Chriſti diſpenſationem laudibus proſequuntur, libri nomine deſignatam, quam ſoli fatentur Chriſto competere. Hic amplius declaratur, animalia & ſeniores Eccleſiam eſſe, quum dicũt, Redemiſti nos ſanguine tuo. Neq; enim hoc niſi Eccleſiæ conuenit dicere

 cere

cere. Ostendit etiam in quo cœlo sint animalia & seniores, quum dicunt, Fecisti nos Deo nostro regnũ & sacerdotes, & regnauimus super terram. Etiam si superiorũ partium intelligentia permanẽte, aliquas in cœlo quoque huiusmodi credantur congratulari uirtutes. Ostendit etiam Ecclesiam in Christo librum accipere, quũ redempti ex omni populo & tribu & gente & lingua, se potestatem accepisse fatentur, & regnum. Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est. Erunt (inquit) duo in carne una: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. Ipse ergo in ea accepit, quod dedit: ipse coronatus in ea, quam coronat. Propter ea Esaias, Quasi sponsam ornatam monilibus suis.

ET uidi & audiui uocem multorum angelorum in circuitu throni

ni,& in circuitu animalium & seniorum.) Qui ſit thronus, animalia, ſeniores, in quorum medio uocem audiuit, oſtendit. Si enim filij Dei dicti ſunt iuſti, cur non & angeli nuncupentur? utrunque autem gratia, non natura. Licet cœleſtis quoque militia angelorum, propriè poſſit unico laudis præconio, cum animalibus & ſenioribus de tanto redemptionis noſtræ munere congratulando, iſta concinere.

ET erat numerus eorum milia milium, utique innumerabilium, dicentium uoce magna, Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere poteſtatem & diuitias & ſapientiam & fortitudinem & honorem & claritatem & benedictionem, & omnem creaturam, quæ eſt in cœlis & in terra & ſub terra & in mari, & quæcunque ſunt in eis.) Licet iſta

iure capiti nostro competant Christo, potest tamen & de eius Ecclesia non incōuenienter intelligi, ita dūtaxat, ut quædam soli competant capiti, quædam etiam corpori. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere diuitias: & cætera. Ipse est enim thesaurus bonorum omnium, & sapientia Dei: ipsam nanque cunctis facit gentibus dominari, dicēs, Mihi alienigenæ subditi sunt, & omnia subiecisti sub pedibus eius, & tibi dabo claues regni cœlorum. & transit in caput, dicens, Et omnem creaturam, quæ est in cœlis & in terra & sub terra & in mari, & quæcunque sunt in eis. Nec hoc durum sit accepisse Ecclesiam ac petere, cum qua resurrexit. Si durū est habere mēbra, quod habet caput, nec illud iniustum potest uideri, quod dicit Ecclesia, dignam se omni

ni

ni creatura: quia & si unumquodque membrum religiosa humilitate his se indignum iudicat, totum tamen corpus particeps esse dicamus capitis sui: de quo legimus, Omnia nobis cum illo donauit: itemque, Et sedere fecit in cœlestibus. Aliter creaturam hominis significari frequēter nouimus, sicut Apostolus, Nā & ipsa, inquit, creatura hominis liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Et Dominus, Prædicate Euangelium omni creaturæ. Omnia enim quæ uniuersis competunt creaturis, inueniuntur in homine esse, uiuere, mouere, sentire, intelligere. Ergo & hic omnem creaturam, omne humanum genus, id est totius orbis. Hinc & ipse dicit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Nec suam ex tempore cepisse

poteſtatem, ſed in hominibus ſignificare Eccleſiæ uoluit dignitatem: ille utique, qui ſe per omnia patri docet æqualem, ut & quod dixit, Et quæ eſt in cœlo, ipſam humanam in Chriſto naturam angelis prælatam dominetur in cœlo prædicata, regnans dominetur in terra, quę ſolutis gemitibus, inferorum præualens dominata docetur et ſub terra.

OMNES audiui dicentes ſedenti in throno & agno (ideſt Patri & Filio) benedictio & honor, dignitas, poteſtas in ſecula ſeculorũ, & quatuor animalia, dicebant, Amen (ideſt uerum, fideliter) & uigintiquatuor ſeniores ceciderunt, & adorauerunt uiuentem in ſecula ſeculorum.] Eadem animalia ſunt ſeniores, qui perhibuerunt teſtimonium, dicentes Amen: deſcripta Eccleſia cum officijs debitę laudis,

operi

operibus fuerat properanda, quæ singulorũ apertione signorum, insinuata clarerent. Nihil quippe his septem signis deesse oportuit, ut eo rum arcano & in affectu & intellectu & actu, omnis docetur inesse perfectio: describit denique & aliquando ab initio finem assumens, & tam de Christi triumpho, quàm de impugnationibus futuris Ecclesiæ signorum continentia singulorum suo more percurrit, ut & consolationem daret de prosperitate uictoriæ, & sollicitudinem de futuro certamine, & stupendo indixisset examine.

CAPVT VI

ET quum aperuisset agnus unum ex septem signis.) Apertio signi, reuelatio sacramenti: uerum

rum quia nõ unum, ſed multa ſunt ſacramenta, nec unius modi: ſed ſicut apoſtolus Paulus dicit, Multifariè multiſq; modis olim Deus loquutus eſt patribus in Prophetis, poſtremò in his diebus loquutus eſt nobis in Filio ſuo: & cætera. Et longum eſt de ſacramentorũ diuerſitate tractare, quibus futura Chriſti diſpenſatio, & Eccleſiæ præparabatur uentura ſaluatio. In his certè tribus, quos pręmiſimus modis, ſermones, intelligentiæ, actiones poſſunt breuiter uniuerſa reſtringi, ut loquutio omnia in ſe præcepta totius cœleſtis cõcludat oraculi: ideo multifariè multiſq; modis (inquit) loquutus eſt. Cognitio autem regulariter adhibenda, intelligentiæ formas inſinuet: unde in Euangelio Dominus dicit poſt reſurrectionẽ diſcipulorum ſenſus aperuiſſe, ut intel-

intelligerent Scripturas, et corda ſalubriter accendiſſe, ut prædicarent cæteris reuelata adimplentes: nihilominus iuxta Apoſtolum, ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua, ueraciterq́ dicentes, Facti ſumus forma omnibus credentibus. Idemq́, Et noſmetipſos formã daremus uobis, ad imitandũ nos, qui ſi non feciſſent, fruſtra Scripturas retentas memoria canerẽt, quas penetrare intelligentia actuq́ perficere nequiuiſſent. Et quoniam latentes pridem modos affaminis & intelligentiæ ſalutaris ſuperiori diſputatione peregimus, nunc quæ in actu latebãt, ſingulorum apertione ſignorũ intentius iudicamus. Nam & ſi apertio ſigni, reuelatio creditur ſacramẽti, eiusq́ myſterium in ſermone dicimus, intellectu actuq́ cõſiſtere uideamus, quo hæc ſimul

tria certis etiam possint locis dicta, intellecta atque peracta probabiliter inuenire: ut eadem dicta intellectu sobrio capiantur, & intellecta opere comprobentur: uerbi gratia, Ecce uenio, in capite Libri scriptum est de me: dicendo Venio, se adhuc quidã pronunciat uenturũ. Quum autem quis sit iste quæritur, desideratus cunctis gentibus, intelligitur Christus: præsertim quia & in capite libri Psalterij, & in capite libri Geneseos ipse scriptus legitur, In principio fecit Deus cœlum & terram: Omnia enim (inquit) in sapientia fecisti. Qui requirẽtibus, quisnam esset, Principiũ se esse respondit. Verũ quum quæritur, propter quid uenerit: sequitur, Vt faciã uoluntatem tuam Deus meus, uolui: de qua in Euangelio idem dicit, Meus cibus est, ut faciam uoluntatem

tem eius, qui me misit: de qua ab eo intelligimus, circa horam passionis expressum, Vt sciat mundus, quod uoluntatem Patris mei facio. Surgite, eamus hinc. Quod circa huius prata libri signati tunc reuelasse cognoscitur, quãdo se unum cum Patre docuit manere principium, atque ex Virgine natus gessit hominem uerum. Indebitam quoq; pro mundi salute suscipiẽs passionem, triumphalem à morte resurgens aperuit tumulum, postquàm confregit infernum: & quando uoluit, repetens cœlum, promissum discipulis misit Spiritum sanctum, quo replente orbem terrarum gentiũ multitudinem acquisiuit, seq; sperandum iudicem edocuit.

ET quum aperuisset agnus unum ex septẽ signis, audiui unum ex quatuor animalibus, dicens, Veni &

ni, & uide, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, tenebat ſagittam, & data eſt ei corona, & exiјt ut uinceret, & uictor exiјt.) Primùm ſicut præmiſimus, in affamine diuerſatur, cui intelligẽtia ſociata, penetralia ipſius mox ſupplet actionis: & quod in actu procedit, uerbo concordat, intelligẽtiæq; relatu, quod in cæteris ſignis & animaduertere intentum uolo Lectorem. Dixit enim, Audiui unum ex quatuor animalibus, dicentem, Veni, & uide. Quod eſt unũ animal, hoc omnis Eccleſia, quæ uoce magna prædicationis intonat, ſuccedentem inuitans ad fidem Eccleſiam, Veni, & uide. Si quis ſitit, ueniat, & bibat. Accedite ad eum, & illuminamini. Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Et ecce equus albus, & qui

qui sedebat super eum, tenebat sagittam, & data est ei corona, & exiuit ut uinceret; & uictor exijt. Iste equus potest in Apostolis & Prædicatoribus ueritatis Ecclesia intelligi, super niuem gratia dealbata, cui sessor est Christus: ideo ei per Prophetam dicitur, Qui ascēdit super equos tuos, & equitatus tuus sanitas: propter quod & sagittam tenere dicit, quæ prædicationi uerbi Dei aptiùs comparatur, qua hominum interiora transfixa possint fidei fructum afferre. hinc legimus, Sagittæ tuæ acutæ, potentissimi populi sub te cadent: coronam sanè Prædicatoribus deberi significat.

ET quum aperuisset signum secundum, audiui secundum animal, dicens. Veni, & uide.) Quod eadem exhortationis uerba uenien di, & uidendi, in causa dissimili re-

petuntur, quum equus albus in bono, rufus autem ponatur in malo, illud esse puto, quod sicut de bono lætitiam pro Ecclesiæ uictoria pollicitus, sic de malo cautelam denunciet ex præsentia futurorum. Sequitur enim,

EXIVIT alius equus rufus, & sedenti super eum datum est, ut tolleret pacem de terra, & ut inuicem se occiderent, et datus est ei gladius magnus.) Iste equus rufus, uelut cruẽtus, sanguine alieno, non suo, contrarius uictrici Ecclesiæ prædicatur repugnare, quando pacem, quæ præcellit omnem sciẽtiam, de terra insinuatur auferre, quod & actu docetur, & gladio.

ET quum aperuisset signũ tertium, audiui tertium animal, dicẽs, Veni, & uide: & uidi equum nigrum, & qui sedebat super eum, habebat

bebat ſtateram in manu ſua.) In qua menſura ſimulatè ſignificatur examine, per quam ſingulorũ meri ta perpendũtur, quicquid enim iuſto congruet iudici, & transgreſſores uſurpant. Inde eſt illud, Ponam thronum meum ab Aquilone. Et quia Deo ſinente poterunt temporaliter præualere, hoc nunc docet, dicẽs, Vinum & oleum ne læſeris.

ET audiui uocẽ in medio quatuor animalium, dicentem, Bilibris tritici denario uno, uinũ & oleum ne læſeris.) In tritico & hordeo Ecclesiam dixit, ſiue in magnis & minimis, ſiue in præpoſitis & populis. Non eſt autem minus una bilibris à tribus, eadem quippe & in ſingularitate & in trinitate perfectio. Sic Dominus in farinæ menſuris tribus fermentũ dicit abſconditum, oſtendens ſapientiæ doctri-

nam ex modico omnem populum mystico indiuiduæ Trinitatis numero cõsecrari. Sed & precium docet unum esse tritici atque hordei, quare & si meritò alterutrum præcellit, uno tamen utrique redempti sunt precio. Aliter, propter diuersitatem professionum positum puto disparem numerum, unius & trium, in denario uerò uitam æternam significare, quæ inter mansiones multas cõmunis est omnibus: & si per differẽtiam meritorum ibi alius alio possit esse sublimior, premio potiore ditatur, nullus tamen sit in alterius comparatione longæuus, ibi enim una immortalitas, singulis communis æternitas permanet uniuersis. In uino itaque & oleo, uim sacramẽtorum prohibet uiolari, utputa unctionem preciosumq́ cruorẽ. Hinc legimus, Quid bonum

bonum eius, & quid pulchrũ eius, nisi frumentũ electorum, & uinum germinans uirgines. & in Psalmo, Vinum lætificat cor hominis: ut exhilaratur facies in oleo.

ET quum aperuisset signum quartum, audiui quartum animal, dicens, Veni, & uide: & uidi equum pallidum, & qui sedebat super eum nomen ei erat Mors, & infernus eum sequebatur, & data est ei potestas super quartam partem terræ, ut interficeret eam gladio, fame, & morte, & bestijs, eos qui sunt in terra.) Duæ partes sunt in mundo, una Dei, & altera diaboli: sed diaboli in tres subdiuiditur partes, intus, ac foris, idest gentilitas, falsi fratres, & aperto errore uel schismate separatæ. Tres sunt itaq; partes, quæ contra unam militant, in quam nunc quartam dare prædicit

cit. Poteſtatem hanc dicit Eccleſiã, quæ ex quarta parte conſiſtit, uarijs malorum cladibus exercẽdam: quod etiam in numero cognoſcendum eſt angelorũ, ut contra unum eundemq́ bonum tres ex aduerſo malos opponeret, cum gladio ruſum, ſecundũ cum ſtatera nigrum, tertium uerò mortis ſignum pallentem, gladio bellũ, nigrore famem, pallore denũcians mortem. Et quũ ſingulis plagis ſingula deputaret, in ipſo inſuper tertio, uel per ipſum omnia enumerando prædicit futura plagarum exitia, adiecto nomine beſtiarum. Et quia ſic latere poſſunt, utrum ſimplex ſit, an figurata loquutio, eo quod gladius & corpori uiſibilis, & animæ ſoleat ſpiritalis inferri, ſic etiã de fame, utrum uerbi Dei, an corporis memoretur, ſed etiam de morte, utrum animarum

rum æternam, an corporũ momentaneam hic minetur. Claret tamen illam quartã bonam, cui tria econtrario mala ſupponit, his omnibus uiſibilibus temporalibus perſequutionibus exerceri. Nam ſi qui ſecũdùm propoſitũ uoluntatis Dei uocati ſunt, in electorum plenitudine permanebũt, præſertim circa quos illæſa ſeruare uoluit uini & olei ſacramenta: dicendo, Vinum & oleum ne læſeris: in uino, precium redemptionis: in oleo, chriſma baptiſmi ſignificans. Hordei quinetiam & tritici facta mentione, demonſtrat Eccleſiam uſq; ad finem ſeculi, nulla poſſe malorum perſequutione perire: in eo quod eaſdẽ ſpecies non ignobiliter, ſed conſecrato numero & precij memorat quantitatẽ. Quod deniq; illi ad ſuã maleuolam pœnam exercẽt, Deus

ſummè bonus, ad ſuorum redigẽs utilitatem, opportunitatem nobis præbet ſpiritalium triumphorum. Sequitur denique,

ET quum aperuiſſet quintum ſignum, uidi ſub ara Dei animas occiſorum propter uerbum Dei, et martyrium ſuum, & clamauerunt uoce magna, dicentes, Quouſque Domine ſanctus & uerus non iudicas, & uindicas ſanguinem noſtrum, de his qui in terris habitant? & datæ ſunt eis ſingulæ ſtolæ albæ.) De illis utique reliquis, quas etiam inter aduerſa Deus ſecreto operationis ſuæ, reddit conſilio tutiores, martyrum ſe dicit reliquias, ideſt animas perſpexiſſe, non uili loco, nec qualicunque, ſed ſub ara Dei, ideſt ſiue in Eccleſiæ unitate perſeuerantes, ſiue ſub teſtificatione nominis Chriſti, tanquam ſub

ara Dei, uſque ad mortem uiriliter dimicantes: ſicut de Machabæis dictum eſt ſub teſtamento Dei, Beati autem mortui, qui in Domino moriuntur. Multo amplius itaque qui & in Domino & pro Domino mori meruerunt, ſcientes ſe habere domum non manu factam, ſed æternam in cœlis habitationem ſuam, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes, propterea interpellari dicuntur. Sic autem iſta conijcimus, ut per Domini paſſionem inferni gemitibus iam ſolutis, ſanctorum animæ uenire ultrà ad inferos non putemus. Quod hic aptiùs ſignificare puto, ut ad ſimilitudinem Veteris teſtamenti, ubi interiùs ara aurea fuiſſe deſcribitur, hic permemorabilis aræ uocabulum cognoſcatur, intellectuale ſecretum, uel interiora ſancta ſanctorum, in qua hic pi-

gnore ſalutis accepto peregrini ſuſpirant, habentes ſpem, ſicut ancoram animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora uelaminis, ubi pro nobis præcurſor introiuit Ieſus, iuxta Apoſtoli dictũ, qui ſic intentione Chriſti inſinuabat præſentiam, ut exponeret figurata: Vſquequo Domine ſanctus & uerus non iudicas, & uindicas ſanguinem noſtrum, de his qui in terris habitant? Quod non carnali ſenſu credendum eſt, animoſitate eos ultionis incẽdi, quum ab eis hic poſitis per affluentiã charitatis, inimicos quoq; diligi nouerimus: ſed eos manifeſtum eſt contra peccati regnum oraſſe, & alia illius regni deſiderio poſtulaſſe: de quo dicimus, Adueniat regnum tuum. Et hoc eis Diuinæ ſapientiæ præſentia intelligimus reuelatum, quod et impij

impij æterna ſint ineuitabiliter pœna plectendi, & uſque in finem ſeculi fonte cœleſtis gratiæ profluente, multi ſint adhuc ſanctorum martyrum conſortio ſociandi, quo iſti accepto reſponſo inenarrabili lætitia cumulantur, quam ſtolis albis recte credimus figuratam. Acceperunt ergo ſinguli ſtolas albas: ideſt ut per charitatis perfectionem, quę per Spiritum ſanctum infunditur in corde credentium, hac conſolatione contenti, ipſi malint pro cæterorum numero fratrum ſupplendo differri. Quod enim per beneuolentiam uotis gerunt diuinitus inſpirati, interpellantes dicuntur reſponſo protinus informari: nec fas eſt, eos credere contra Dei nutum quicquam cupere, quum eorum deſideria ex eius pendeant uoluntate.

ET uidi quum aperuiſſet ſextum ſignũ & terræmotus magnus factus eſt, & ecce ſol factus eſt niger, ut ſaccus cilicinus.) Sexto ſigno, ſexta ætas cognoſcitur mundi, circa cuius finem nouiſſima perſequutio nũciatur: cuius uehementi impetu, tanquam terræmotu, orbem dicit uniuerſum concuti. Sol & luna, Chriſtus & Eccleſia, quam quia nouiſſima perſequutione territi, multi negabunt: & ideo ſol dicitur obſcurari. Si enim obſcuratum eſt (inquit) Euangelium, in his qui pereunt eſt obuelatum, in quibus Deus ſeculi huius excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio euangelicæ gloriæ Chriſti, quæ eſt imago Dei. Hinc dicitur, Ita ut in errorem ducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Hoc modo Sol niger dicitur factus, tanquam

Chri

Christi, uel operta potentia, uel doctrina temporaliter obscurata, uel defensione uelata, quum impij in sanctos grassari sinuntur: hinc Propheta, Dissimulabis in hoc, ut deglutiat impius iustum. De ipso denique Christo legimus, Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. In ipso certi capientes profectum, à quo alij incurrunt aduersi defectum.

LVNA in sanguinem.) Ecclesia solito amplius pro Christo sanguinẽ fundere prædicatur, magno persequutionis incumbente frago re. Sanguine itaq; suo, non sanguine alieno: sicut ille rufus equus, alieno rufus describitur sanguine.

STELLAE ceciderunt in terram, eo modo, quo ficus uento magno agitata, mittit aceruos fru-

ctus

ctus suos.) Illi significantur in stellis, qui in Ecclesia, quum de electorum numero ab hominibus existimati, uideantur temporaliter eminere, rabie tamen persequutionis acrius incumbenti de culmine status sui, tanquã de cœlo cadere perhibentur: quod Dominus in Euangelio prænunciat, dicens, Erit autem tribulatio, qualis nunquã fuit, neque erit: & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. Arborem, Ecclesiam ponit: fructus aceruos, quos alia translatio grossos dicit, homines, uẽto exagitatione, persequutionis commotione, per quam homines agnosci à quoquã nullatenus possunt. Nam quod euoluitur de tecto, protinus declaratur: ita & hæc quũ manifesta fuerint, persequutione discre

discreti, uitans recedet: ut ab extraneis abdita non uideatur, sibi tantum, idest suis, quibus se credere potest, per unitatem Spiritus cognita, incognitos & alienigenas præcauet, seq; per discretionis Spiritum, ne intellecta prodatur, occultat. Hinc Ioannes ait, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.

ET omnis mons, & insulæ, de locis suis motæ sunt, & reges terræ & magistratus & tribuni & diuites & fortes & omnis seruus & liber.) Etiam per montes & insulas Ecclesia figuratur: ipsa est enim ciuitas super montem posita: propterea montes in circuitu eius, quod legimus, In insulis maris nomen domini Dei Israel, quam persequutionis impulsu mouere loco prenunciat. In utranque autem partem accipi potest

poteſt: in bonis ſcilicet, præcauens fugiendo mouetur: in malis uerò, perfida uoluntate in deterius mota cõuertitur, ſicut dicit, Mouebo can delabrum tuum de loco ſuo. Reges terræ, potentes accipimus, idoneos ſcilicet iudicio ſuæ diſcretionis certo ſubſiſtere. Magiſtratus, tribuni, & diuites, & fortes: hos omnes pro diuerſitate officiorum, & qualitate uirium uult intelligi, nullumq; ab illius perſequutionis moleſtia prædicit alienum: quamuis electorum numerum nullus dubitet liberandum. Et omnis liber, & ſeruus: liber à uinculo coniugali: ſeruus autem, coniugio copulatus agnoſcitur.

ABSCONDERVNT ſe in ſpeluncis, & in petris montium, dicentes montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie

ſedentis

ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quoniam uenit dies magnus iræ eius: & quis poterit adſtare ante illum?) Speluncas petrasq; montium conuenienter intelligimus fidei Chriſtianæ refugia. Scriptum eſt enim, Lepuſculus, plebs inualida, collocat in petra cubile ſibi: cui Pſalmus concinit, dicens, Montes altiſſimi ceruis, petra refugium erinaceis & leporibus. Vbi etiam præcelſos in Eccleſia, cognoſcim⁹ montium uocabulo deſignari, propter eminentem ſcientiā charitatis Chriſti. Hos ergo cum fragore nubium perſequutiones urgente cōſulunt, paruuli muniminis remedia pquirentes, firma petræ receptacula dicuntur appetere. Ad quemcunque enim talium refugiāt montium, ad petram in eis habitantes dicuntur fugere, Petra autem, inquit, erat

Christus. Quum ergo illorũ montium consilijs muniuntur, salutaribus tegendi monitis, & obumbrandi cõsilijs, quasi ipsos super se montes per affectum compassionis cadere deprecantur. Illius enim quis umbraculo tegitur, cuius remedio exhortationis præmonetur. Hinc Esaias: Et nunc, inquit, ingredere in petram, abscondere fossa humo, à facie timoris Domini, & à facie furoris eius, quum surrexit percutere terram. Quod hic illos dicit persequutione graui compulsos petere, hoc Propheta uidetur hortari, ut in ipsa quoq; persequutione, quę similem non habet, Christi quæramus Ecclesiæq; refugium capitis inuicti, & corporis gloriosi. Quod autem dicit, A facie agni sedentis super thronum: ut eos scilicet non reprobos, sed in fide stabiles uenturus

tus inueniat. Aduertendum præterea loquutionis genus, quod hoc Spiritus ſanctus libro indicare uoluit, uſque ad ſextum enim ſignum ordinem cuſtodiuit: & prætermiſſo pauliſper ſeptimo, eadem recapitulat: & duas narrationes intexens, quaſi ordinem ſequutus ſeptimum cõcludit. Sed & ipſa recapitulatio, pro locis intelligenda eſt, aliquãdo enim ab origine diſpẽſationis Chriſti, aliquando paſſionis, aliquando medio tempore, aliquãdo ſola ipſa perſequutione, aut non multo, aut dicturus recapitulat: nunc ergo deſcripto ſexto ad originem rediit, eadem breuiter aliterq; dicturus.

CAPVT VII

POſt hæc uidi quatuor angelos ſtãtes per quatuor angulos ter

ræ, tenentes quatuor uentos terræ, ne in terris flarent, neq; in mari, neque in ullo arbore.) In quatuor angelis istis regna quatuor designari Ecclesia in Ioanne cognoscit Assyriorum & Medorum & Persarum & Romanorum: qui suo quodammodo potentatu omnia præfocantes, nullum pro libitu sui iuris sinerent respirare. Ideo ne in terris (inquit) flarent, idest habitantes, neq; in mari, neq; in ulla arbore. Ideo autem quatuor propter totidem mundi notissimas partes, quæ sunt quatuor angeli, ijdem quatuor intelligēdi sunt uenti, iuxta Danielis prophetiam dicētis, Ecce quatuor uenti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ ascendebant de mari diuersæ inter se. Et quoniam Ecclesia per omnes quatuor mundi cardines partem suam regis, adhuc

ſtuc mundi uidetur habere permixtam, & apud alienigenas ſuos, & intra ſe habere cognoſcit alienos: in terris, diuerſitas prouinciarum: in mari, inſularum: in arboribus, quia genus ſiluit, pro diuerſitate, diuerſa etiam officia, atq; hominum præſignari uoluit qualitates.

ET uidi angelum aſcēdentem ab ortu ſolis habētem ſignum Dei uiui.) Hic domini Ieſu Chriſti primus declaratur aduentus, qui alibi Magni cōſilij angelus appellatur: ideo ab ortu ſolis, ſecundùm quod de illo in Zacharia legimus, Ecce uir, oriens nomen eius.

ET exclamauit uoce magna ad quatuor angelos, eo quod datum eſſet illis lædere terram & mare, dicens eis, Ne læſeritis terram, neque mare, neq; ullam arborem, donec ſignemus ſeruos Dei noſtri in fron

tibus eorum.) Et exclamare dicitur, eo quod poteſtas ſaluberrimæ prędicationis, aduerſarias cohibuerat poteſtates, ne ſolitæ mũdum indebitę dominationis crudelitate cõprimerent. In his autem ſignis, in quibus feruens idololatria principabatur, etiam noxiorum quatuor angelorum fortitudo fruſtratur, tãquam in miniſtros autoris, illa ſcilicet uoce, Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum. quod & de ipſorum numero dæmonum aliqui confitẽtur, dicentiũ Domino, Veniſti huc ante tempus torquere nos. De hoc aduentu Daniel dicit, Lapidẽ abſciſſum de monte ſine mœnibus, qui percuſſit ſtatuam ſibi horamate reuelatam, cuius caput aureum, pectus & brachia de argento, uenter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ. In hac autem

autem ſtatua memorata, regna quatuor deſignantur: in auro, Aſſyriorum: in argento, Medorum: in ære, Perſarum: in ferro, cognoſcitur Romanorum. Sicut Daniel angelo exponente narrauit, ſubſequens, In diebus autem regnorũ illorum ſuſcitauit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius populo alteri non tradetur, comminuet & conſumet uniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Lapis quoq; ille percuſſis quatuor regnis, tanquam deſtructo ſupercilio indebitæ tyrannidis creuit, & factus eſt magnus, & impleuit omnẽ terram. Iſtos ergo quatuor angelos hac nunc dicit poteſtate frenari, ne ſolitis auſibus memorata lædere ſinerẽtur, donec cognitus Deo numerus electorum ſigno inuiolabili cenſeretur: de qui-

 bus

bus Apoſtolus dicit, Qui elegit nos ante cõſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti & immaculati in cõſpectu eius, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum. Hunc porrò ſacrati multitudinem numeri opportune nunc inſinuans, ſequitur dicens,

ET audiui numerum ſignatorum, centum quadragintaquatuor milia ſignati, ex omni tribu filiorũ Iſrael.) Hoc autem numero omnis ſignificatur Eccleſia: nam trinitatis quaternatæ ratio eſt, ut ter quaterni decus dipondius, & quaternitatis cõſternatæ, ut quater terni decus dipondius, et decies decus dipondius centũ quadragintaquatuor faciant. Nam & ipſa ciuitas, duodecim ſtadia quaqua uerſum habere deſcribitur, & ambitus ciuitatis in ſolidos centum quadraginta

taquatuor cubiti. Vnde euidenter agnoſcitur hoc myſtici numeri indicio innumerabilem electorũ multitudinem præſignari, tanquam numerum finitum pro infinito ſignificantiæ commendari. Sequitur denique deſignans numerum ſignatorum; mẽtionem faciens tribuum ſingularum.

EX tribu Iuda duodecim milia ſignati.) Sic per cæteros excurrit, quorum ſtirpe Iſraeliticæ plebis proſapia traditur deſcendiſſe.

EX tribu Ruben duodecim milia ſignati, ex tribu Gad duodecim milia ſignati, ex tribu Aſer duodecim milia ſignati, ex tribu Neptalim duodecim milia ſignati, ex tribu Manaſſe duodecim milia ſignati, ex tribu Symeon duodecim milia ſignati, ex tribu Leui duodecim milia ſignati, ex tribu Iſachar

duodecim milia ſignati, ex tribu Zabulon duodecim milia ſignati, ex tribu Ioſeph duodecim milia ſignati, ex tribu Bẽiamin duodecim milia ſignati.) Omnium nomina tribuum decurſurus mirum nõ eſt, quod à Iuda orſus, eas nominare uoluit. Ex tribu enim Iuda naſci uoluit dominus Ieſus Chriſtus. Neque enim ex terrenis generationibus hic ordo cõtexitur, ut maiores natu ex more præferret, & ad Iudam, qui quartus eſt, perueniret, ſed de ſacrato numero redemptorum, quod plenitudinem ſignificare uoluit electorum. Ad quam uolens intentionem noſtram neceſſaria conſideratione dirigere, in cæteris quoq; fratribus nominandis, non natiuitatis ordinẽ reſeruauit, ita ut & poſt Ruben maioribus natu inferiores præponeret, quod col

latione librorum Geneſeos, Exodi docere poteſt. Vnde ſi pleniùs loqui uelimus, hoc opus amplius oneramus. Iudas nanque interpretatum dicitur Laudatio, ſiue Confeſſio: ſicut & in paterna benedictione docetur, Iuda, te laudabunt fratres tui. Ruben, uidens filium, uel uidentes filium. Symeon, audiui, uel nomen habitaculi. Leui, additus. Iſachar, eſt merces. Zabulon, habitaculũ fortitudinis. Beniamin, filius dextræ. Dan, iudicium, ſiue iudicans Hebræorũ tranſeuntium. Neptalim, latitudo. Gad, tentatio, ſiue accinctus, aut latrunculus. Aſer, beatus. Ioſeph, augmentum. Manaſſes, oblitus, uel neceſſitas. Quum uarias nouerimus fidelibus ſingulis ineſſe uirtutes: ut uerbi gratia, alio plenitudo ſcientiæ ſalutis emineat, in alio au-

tem

tem sola mansuetudo præcellat: hic tamen necessariò pro donorum ordine, & gradibus proficientium animarum, ipsa duodecim nomina disponi uidemus, non sicut geniti, nec sicut intrantes Aegyptum fuerant nominati, quia illic terrenæ generationis origo: & in Exodo, Aegyptiæ generationis cohabitatio memoratur. Vnde curaui, præmissa eorũ serie, quæ in hoc libro conscribitur, etiam natiuitatis eorum ordinem adhibere, cum interpretationibus singulorum, si quo modo ualeam demonstrare, non hoc inaniter fuisse mutatum. Prænoscendum sanè paruulos etiam commonemus, ne istum numerum ad infantum mortes, quos Herodes occidit, æstiment redigendum, sicut quosdam sumus ignaros experti. Vt enim cætera sileam, de una tan-

tùm tribu Iudæ, Herodem infantes necasse cognoscimus: ubi pro quãtitate iuris sui, quo tetrarches sinebatur habere dominiũ, prout libuit insanus exarsit. Hic autem omnes memorat tribus, quorũ consequentias nominum suis tribubus subiũgentes, ac numero coaptantes, præmissam in electorum plenitudine significationẽ de luce dare amplius poterimus, si huius loci secreta rimentur. In Iuda enim confessio peccatorum, laus claret prædicanda uirtutum, qui de eadem numero tribu nascenti conuenit signatorum. Nam & cõfessio, in Sacris paginis non tantùm ad peccata redigi, sed & pro laude sæpius solet intelligi. Hinc Psalmus dedicationis domus, idest uigesimusnonus: Cantem tibi (inquit) gloria mea, & non confundar, domine Deus meus, in

æter

æternum confitebor tibi. Et Domi nus, nullum habens omnino peccatum, ait, Confitebor tibi Pater, Domine cœli & terræ. Ruben, uidens filium, uel uidentes filium. In filijs, opera sæpius significare cognoscimus. Filijs autem lucis in lumine ambulātibus dicitur, Videas filios filiorum tuorum, pax super Israel. Cuius nunc filij in disputatione spiritaliter assumuntur. Hoc enim & Apostolus dicit, Pax super Israel Dei. Rectè itaque ex nomine ipsius, tribus signatorum numerus adhibetur, quibus & congruit, uidentes filium. Talibus nanq; Dominus dicit, Vt uideātur opera uestra bona, & glorificent Patrem uestrum, qui in cœlis est. Symeon, audiui tristitiam, uel nomen habitaculi. Eos hic arbitror designari, de quibus Dominus ait, Beati (inquit)

qui

qui lugent, quoniam ipſi conſola-
buntur. Sic enim audiũt triſtitiam,
ut obediẽtes hic habere malint de-
uotè ſuſceptam. Seminantes in la-
chrymis, qui in gaudio metẽt: non
hic intentionẽ habitationis ſuæ lo-
cantes, ſed ſurſum cor habẽtes, ubi
Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens,
habitationem noſtram, quæ de cœ
lo eſt, ſuperindui cupientes: ſicut
Abel, qui expectabat manẽtem in
cœlis ciuitatẽ, cuius artifex & con-
ditor Deus. Ideo & nomen habita-
culi, Symeon interpretatũ dicitur,
ut ſcilicet audiat & quid hic haben
dum, & quid ſit à fidelibus expe-
ctandum, quia nũc tempus triſtan-
di. Hinc Dominus diſcipulis dice-
bat, Vos plorabitis & flebitis, mun
dus autem gaudebit, uos triſtabimi
ni, ſed triſtitia ueſtra uertiẽ in gau-
dium. Leui, additus. His conue-
nit

nit,quod & in Salomone legitur, Numerus dierum eius duplex: qui sic bonis uitæ presentis utuntur, ut temporalibus potius æterna mercentur, non terrenis impediti, cœlestibus defraudentur. Quibus Iob, Formam nouimus laudabilem prębuisse, qui sic temporalia rectè dudum possessa contempsit, ut annorum numerus, & substātiæ modus ei duplaret, additus maneret adiectus. Hinc Esaias, In terra (inquit) sua, duplicia possidebunt, & perpetua felicitas erit eis. Isachar, est merces. Hinc Hieremias, Quiescat (inquit) uox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo. Et audientes Apostolū, tanquam athletam spiritalem, non in incerto pugnātem, dicere, Fratres, non deficiamus, tempore enim suo audimus ipsumq; Dominum di-

centem

tētem, Thesaurizate uobis thesaurum in cœlo, ubi neq; ærugo, neq; tinea exterminat. Nouimus utique quod est fidelibus merces, quorum pro hac quoq; tribu numerus claret, & perfecta electorum indicia, & uocabuli sacramēta, quibus maximè dicitur, Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Zabulon, habitaculum fortitudinis. Illorum hic puto significare militiam, qui spiritaliter martyrio dimicantes, corpore quoquè suo, tanquam habitaculi fortitudinis, inimici rabiem uincunt, & diuinitus: unde infirmitate, secundum Apostolum, conualescētes, in prælio fortes existunt: ideo titulo nominis, & effectu gloriosæ uirtutis, celebres gloriarum titulos uirtutis acquirunt. Beniamin, filius dextræ laboris. Non est illos agnoscere fi-

lios dexteræ, quos agnorum nomi ne ueritas in Euangelio figurauit, dicens, Agnos ad dexteram: ut cuius in seculo dextera confortantur, eius in futura felicitate fruantur. Dan, iudicium, siue iudicans, Hebræorum transeuntium, iudicium illorum hic existimo poni, qui sic inter Noui & Veteris testamētum tempora, moderamine spiritali discernunt, ut nec Gentes existiment Iudaizare debere, nec in condemnationem Veteris testamēti putent aliquid mutilandum. De hac denique quæstione non inter solos apostolos, sicut beatus Paulus ad Galatas memorat, sed etiam inter spiritales postmodum uiros talis fuerat quæstio nata, qui sicut hoc interposito dignoscimus nomine, magno indigens fuisse iudicio referanda, qui circa Dan, iudicium, siue iudicans

dicans, Hebræorum transeũtium, subaudimus aut tẽpus, aut typum, idest Iudæorum transeuntium figuratas actiones, uenturo Christo & Ecclesiæ seruientes, ideo transeuntium, quia non ad se, sed ad aliud sunt potius referẽdæ. Omnia enim hæc ait Apostolus, in figura contingebant illis: Et uetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Secundum quod de eisdem superiùs querimonijs memini disputatum. Nec toties repetenda sunt omnia, quoties exponendi horum fuerit exorta necessitas. Neptalim, latitudo. Sicut in benedictionibus, Sem, & Iaphet dictum legimus, Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, quod interpretatur Nominatus. Intelligitur autem Christus, qui sic nominatus, in omni orbe excellit, ut in eius nomine omne

genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorũ. Propterea & unguentum effusum, eius nomen esse legimus, quod nomen clauso uetuit, negare silentium, quod indesinenti prædicatione latiùs sit, flagrare præconio. Ita etiam hic latitudinem fructificantis Ecclesiæ in filijs adoptionis, uidemus ostendi, quos bonis gaudemus operibus dilatari. Gad, tentatio, siue accinctus, aut latrunculus. Quoniam sicut legimus, Hæc uita tentatio est. Conuenit militibus Christi, quod ipse præcepit adimplere, & contra omnes tentationes accinctos iugiter dimicare: dicit enim, Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes: ut scilicet te & illicitas cõcupiscentias reprimendo frenemus, & bonis operibus insistendo luceamus: ut idem dicit, Sic luceat lux uestra

coram

coram hominibus: & quia bonorum operum finem ad Deum dirigere, non ad fauorem laudis humanæ retorquere debemus. Ob hoc etiam latrunculus interpretatũ dicitur nomen eius, tanquam bona cordis latenter acquirens Deo offerat approbanda, non humanis obtutibus detegat per offerenda, ut secundùm quod ipse promisit, Pater tuus, qui uidet in occulto, reddet tibi in palàm: ideo latrunculus, eo quod lateat oculus. Aser, beatus, illiusmodi beatitudinem hic arbitror designare, quod Dominus in Euangelio memorat dicens, Beati eritis, quum uos maledixerint, & persequẽtur uos, & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes propter me: ut is sacratus in electis numerus designetur. Ioseph, augmentum. Tale hic augmẽtum da-

tur intelligi, quod & præpositis & diuersis debeat in unitate Ecclesiæ membris aptari, illis uidelicet, quo de commisso spiritalis substantiæ talento dupliciter Dominus dicit. Istis uerò quando aut uirginitatis proposito professum quis perficit cœlibatum, quod utique non mouere, nulli deuocatur in culpam, sed implere susceptum iure profecit ad coronam, quia licita uidetur meliores electione postponere. Vnde Apostolus, De uirginibus præceptum (inquit) Domini non habeo: siue quum ad instar Zachæi dicẽtis, Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. In Ecclesia quidam emerserunt, qui amore uitæ æternæ similiter faciunt, augmento utiq; amplissimæ deuotionis accensi, rectè hu-

ius

ius nominis proprietate poterunt
applicari: ſiue quia & præpoſiti ſo-
lerti induſtria pecuniam duplicāt,
quam Dominus nummularijs præ
cepit dandam, ut ueniens cum uſu
ris exigat prerogata: ſiue quum cœ
libes, qui gratia Diuina præuenti,
incentiua carnis ubertate Spiritus
uincunt: ſiue hi, qui de ſuis faculta-
tibus non ſolas decimas ſecundùm
præceptū, ſed ampliorem offerunt
partem. Augmento enim uirtutis,
& cumulo deuotionis exciti, non
tantùm præcepto parere, ſed etiam
potiore Deo cultu uirtutū ſe com-
mendare feſtinant: non utiq; iam
ne pœnam incurrant, ſed ut merce
dem acquirant. Hic, inquam, no-
men Ioſeph, ideſt augmentum, ar-
bitror conuenire, quod Ioſeph in-
ter alienigenas exaltatus, felici co-
gnoſcitur ſucceſſu creuiſſe, & Ma-

nasse filium suscepisse, quod interpretatur Oblitus, uel Necessitas: utpote durissimæ seruitutis & captiuitatis oblitus. Iam nunc si secũdùm nominum qualitates singulas, quæ rerum congruẽtias præfatis nuper uocabulis applicatis, ordinem natiuitatis eorũ uelimus exequi, promissum expositionis exitũ minimè reperimus: ut uerbi gratia, si à primogenito Ruben uelimus incohare, quod dicitur Videns filium, uel Videntis filium, & quarto suæ natiuitatis loco Iudam intexere, sanè intellectui omnino repugnant. Ante initium enim cõfessionis culmen bonorũ operum nullus apprehendit: quia nisi per confessionẽ renunciemus actibus malis, non informamur rectis & placitis: quocirca ut probemus eorum seriem nominũ non inaniter fuisse mutatam, sed ut

euidenter significatum uellet agnosci, quanta sit distantia discernendum inter exortum naturæ culpabilis, & ordinem gratiæ salutaris. Huius nunc libri ordinẽ exequentes, eosdem sensus, quos in interpretationibus nominum digessimus, huic ordini quibusdam quasi catenulis breuiter connectamus. Hoc modo nostræ confessionis & diuinę laudis operum succedit demorari perfectio, tãquam Iudæ, Ruben: ut nec pœnitenda libeat ultrà repetere, nec probabilia, in quibus Deus laudetur, pigeat adimplere. Propterea huic in ordine Ruben subiungitur, ut qui operatur, spe gaudeat, & uidentes ad Dei laudem referant operantem. Verum quia adhuc corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & ingemiscimus grauati, & quamdiu in corpore sumus

mus, peregrinamur à Domino, & per multas tribulationes nos oportet intrare in regnum Dei, sicut scriptum est, Succedit Gad: idest tentatio succedit, in quam non natiuitatis ortu, sed militiæ spiritalis excursu etiam. Talibus enim non desunt tentationes uitæ præsentis, quibus exerceantur in agone, accincti cingulo spiritali, non sinantur desidiæ torpore marcescere. Licet enim & in bono & in malo ponatur sæpe tentatio, hic tamen ut ad uirtutem bono usu redigatur, intelligenda proponit. Propterea & accinctus, utpote spiritaliter prælians dignoscatur. Præcinxisti me uirtute ad bellum: unde legimus, Beatus uir, qui suffert tẽtationem, quia quum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ: sicuti & Abraham tentatus eminuit. Nam & si mala quidem

sit

ſit tentatio, iure tamen beatos dici-
mus tentationem uincentes, uel ex
tẽtatione uictores. Ideo poſt Gad,
Aſer, ideſt beatus ponitur, iuxta ac
ceptam à Domino regulam uerita-
tis, qui dicit, Beati eritis, quum uos
perſequuti fuerint, & dixerint om-
ne malum aduerſus uos, mentien-
tes propter me. Huius beatitudinis
fida promiſſione ſecuri non angu-
ſtantur, ſed cum Apoſtolo dicunt,
Cor noſtrum dilatatum eſt. & Pſal
mo concinunt, Viam mãdatorum
tuorum cucurri, dum dilatares cor
meum. Propterea Neptalim ſuc-
cedit, quod eſt latitudo, ut non ſo-
lum non deficiamus, uerum etiam
quæ retrò ſunt obliuiſcentes, ſic in
ea, quæ antè ſunt, ſecundùm Apo-
ſtolum extendamur, ut ſola neceſſi
tate humanæ conditionis aſtricti,
curam carnis non in deſiderijs fa-
cia

ciamus. Cõuersatio nostra (inquit) in cœlis est. Et quamuis desiderium sit dissolui, & esse cum Christo, adhuc tamẽ portamus hunc thesaurũ in uasis fictilibus. Ideo post Neptalim Manasses ponitur, idest oblitus, uel necessitas: de hac necessitate dicit Apostolus, Carnis curam ne feceritis in desiderijs, quum non concupiscentijs seruiendum, sed necessitatibus præmonet consulendum: de quibus Propheta meliora suspirans precabatur, dicens, De necessitatibus meis erue me. Huic supponitur Symeon, idest audiui tristitiam, uel nomen habitaculi: ut etiam huius qualitate uocabuli euidentiùs inculcaret, & quid hic habendum, & quid sit salubriter expectandum. Illis enim habitaculi cœlestis gaudium dabitur, quorũ hic animus fructuosa pœnitentia contrista

triſtatur,quibus & dicitur, Triſtitia
ueſtra uertitur in gaudium. Proin-
de Leui ſubnectitur, ideſt additus:
in quo intelligimus uel illos, qui tē-
poralibus æterna mercantur: ſicut
Salomon dicit, Redemptio animæ
uiri diuitiæ ſuæ, ſiue illos, qui Do-
mini ſequendo conſilium, percipi-
unt in hoc ſeculo centuplicia, & in
futuro autem ſeculo uitam æternā.
His, in quod ſcriptum eſt, cōuenit,
quod qui addet ſciētiam, addat do-
lorem. Nam & ſancto Iob, ad hoc
tribulatione acerbitas addebatur,
ut probato præmiorum merces am
plior redderetur. Nec immerito Iſa
char ei ordine recto ſuccedit, ideſt
merces: niſi, quia ſicut dicit Apoſto
lus, Non ſunt condignæ paſſiones
huius temporis, ad futurā gloriam,
quæ reuelabitur in nobis, fructuo-
ſiùs quippe pugnatur, ubi merces
promit

promittitur. Hæc autem in habitaculo fortitudinis Deus operatur, & perficit Zabulon quod dicitur habitaculum fortitudinis, quãdo uirtus in infirmitate perficitur: ut corpus, quod ab inimicis putatur infirmum, & per cuius materiam animo quoque inferri nituntur, interitum Deo confortante, experiantur inuictum, augmento ſuccedenti fœlici, ideſt Ioſeph, quod interpretatur augmentum. Atq; in hoc contextu ordinem augmentum ſignificant gratiarum: ſiue de talentorum dupla redibitione uſuras augmentum commodi ſpiritalis intelligas: ſiue in his, quæ uotiua fidelium religione, redemptori Deo redduntur, accipias: atq; ut hos omnes, & quos ordo & interpretatio nominum hic ſignificat impoſitos in futuro iudicio, ad dexteram Chriſti

regis

regis æterni futuros intelligas. Beniamin postremo loco supponitur, idest filius dexteræ, tãquam ipse sit finis ordinis, quæ felicitas promittitur perfectæ mercedis. Tunc enim nouissimè inimica destruitur mors, ut siue unusquisque fidelium filius dextera eius educatur: siue omnis Ecclesia, de qua canimus, Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato circũamicta uarietate: nequaquam sanè prætereũdum existimo, quod hic in Apocalypsi Manasses, qui nõ filius Iacob, sed nepos erat, licet inter filios adoptatos sexto loco ponitur. Quum Dan, qui filius est, siue in Genesi, siue in Exodo, quum cæteris fratribus annumeratus ostenditur, hic omnino prætermittitur, tanquam Ecclesia ex Gentibus adoptata, sexta mundi ætate, Iudæorũ perfidia reprobetur. Nec

uacat, quòd Manasses in Aegypto inter alienigenas natus, merito adoptionis, significationis gratia sexto interseritur loco. Dan autem nullo aut certo merito, uel sic euidentiùs comprobetur significationis merito hic omnia geri, non transitorio relatu componi, ut propriè in Dan iudicans, Hebræorum transeuntiũ tempus manifestiùs demonstretur, quòd lex ceremoniarum in circumcisione carnalibus uictimis, cæterisq; talibus gerebatur trãsisse, tanquam non necessarium cognoscatur, docente Apostolo, quum dicit, Vetera transierũt, et ecce facta sunt omnia noua. Ideóq; reprobatio quidem sit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: quæ quum ita se habeant, cognoscendum allego, non me dictis Domini aliquatenus auersari, qui-

bus

bus tres tantùm professiones parabolis insinuatas ostendit, treceno fructu coniuges, sexageno uiduas & continentes, centeno insinuans uirgines, uel etiam martyres. Nam & quum in agro actiuam clericorum militiam, in lecto contemplatiuam significaret, uti monachorũ, uel excursus molendino laicorum, quamuis uaria significatione, eundem tamen numerum non uidetur excedere, sed in eisdem tribus, omnes hos modos inueniri uel intelligi posse, & salutari doctrina, & euidenti experientia comprobatur. Quis enim nesciat & de numero monachorum, & de ordine clericorum, & de agminibus coniugatorum sæpe tales existere: qui & confessionem, tanquam in Iuda laudabiles, & in Ruben operibus clareant efficaces, & in Gad tentationis

citio fortes, & in Aſer beati, & in Neptalim largis miſericordia operibus dilatati, & in Manaſſe posteriorum obliti: & in Symeon, quaſi triſtes adhuc in conualle plorationũ, ſemper autem gaudentes nomine habitaculi, in Hieruſalẽ cœleſtem ſuſpirantes: & in Leui, qui promiſſione uitæ præſentis & futuræ congaudeant, additis bonis temporalibus æterno bono fundati: & in Iſachar, futuræ mercedis cõtemplatione firmati: & in Zabulon, qui pro Chriſto dimicãtes, ſuas animas ponant: & in Ioſeph, qui & augmento ſpiritalis ſubſtantiæ ſtudeant, & ſuper Dei præcepta aliquid amplius uel in uirginitate, uel in facultatum ſuarum offerant quantitate. Vel in Beniamin felicitatis æternæ dexteram ſortiantur, ut nouiſſimè inimico deſtructo ſit Deus omnia

in

in omnibus, intantum ut nec ipse Dominus suis dictis aduersari putetur: in eo quod alibi octo beatitudines memorans, admirabili prorsus dispositione describit. quas utique ab illis tribus professionibus non sperauit, sed in ipsis inuenire, & ex ipsarum membris refulgere perdocuit. In quibus & horum patriarcharum intelligentiam, ex nominibus tractam, animaduertere poterimus: & ipsa nomina iisdem congruẽter gradibus coaptari, non parilitate numeri, quum istæ octo, illi uerò duodecim constent, sed intelligentiæ qualitate relata, sibiq; altrinsecus è regione dispositã. Nam prima beatitudine, pauperes spiritu nominauit, idest humiles. qui timore Dei prędititi infirmitatum suarum confessione saluantur, quibus dicitur, Noli altũ sapere, sed time.

 Pau-

Pauperes ergo ſpiritu, in Iuda, per confeſſionem laudabilem & ueracem debent intelligi. Vnde & Eſaias: Super quem, inquit, requieſcet ſpiritus meus, ſuper humilē & manſuetum, & trementem ſermones meos. Secunda proinde beatitudo mitibus deputatur. Mites autem ſunt, qui ſacris obediētes eloquijs, & quæ audiunt, ſine repugnantia credunt, & quæ tradi in Eccleſia uiderint, ſine reprehēſione ſectando ſuſcipiunt, qui in Ruben non incongruè figurantur, qui eſt uidens filium, uel uidentes filium. Tertia eſt, Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Huic Gad, qui interpretatur tentatio, ſiue accinctus tertio poſitus loco concurrit, ſecundùm præmiſſam expoſitionem. Quarta, Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. Quo etiam numero poſi

poſitus comparatur Aſer,quod eſt beatus:nulla quippe melior beatitudo poterit inueniri,quàm ut amator iuſticiæ ipſius ueritatis ſatietur autore.quæ reficit,nec deficit,ſufficiens ſingulis, & integra permanens uniuerſis. Quinto loco,Beati miſericordes:huic Neptalim quinto ordine relatus occurrit uerè latitudo, quæ ſic opera pietatis exercet,ut anguſta cupiditate remota, dapſili ſemper liberalitate hilariter dilatetur. Sexto loco dicitur, Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum uidebunt. Manaſſes quoq; in ſuo ordine ſextus occurrit, ideſt oblitus,uel neceſſitas. Manaſſes ille,qui ex nepote adoptatus in filium, illius quoq; hic Eccleſia figuram gerit, cui dicitur, Audi filia, & uide, & obliuiſcere populũ tuum,& domum patris tui. Talibus quoq; con

uenit Deum mundo corde uidere, qui posterioribus obliti, & in anteriora extenti, dicunt, Menti seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Ad hoc mihi pertinere uidetur, quod & ille botrus inter duos de terra repromissionis allatus, hos duos figurauerit populos, Iudæorum priorum, tanquam post tergum botrum, id est Christum habẽtem, gentium uerò sequentem Christum coram oculis semper habentem. Septimo loco dicitur, Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabũtur: huic Symeon septimus coaptatur, id est audiui tristitiam, uel nomen habitaculi, tali iam sapientiæ largitate locupletes dicunt. Cum his, qui oderant pacem, eram pacificus. Illo enim hic zelo tristantur, quo Propheta dicebat, Vidi insipientes, & tabescebam, & defectio animæ tenuit

nuit me, præ peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Octauo loco dicitur, Beati, qui persequutionem patiuntur propter iustitiam: cui beatitudine Leui quidem in ordine numeri, Zabulon autem pudito proprietate uocabuli coaptandum, idest habitaculum fortitudinis, quo martyres ueritatis diabolum uincere designantur, natura fortiorem. Licet nec in Leui sensus abhorreat, si super baptismum martyrij additus cognoscatur. Verum tamen ne humanis uiribus horum merita præstitorum quis assignanda putaret, sed illius esse munera probarentur, qui diuidet propria prout uult singulis, septenaria quoquè operatione Spiritus sancti, unicuique beatitudini, uel nomini comparata, consono uidetur tramite concordare, ita duntaxat ut cu-

pientibus nobis ad portam ſapientiæ peruenire, à timore nouerimus incohandum. Initium enim ſapientiæ timor Domini: unde enim enumerans Propheta dicit, Illuc perficiendus quiſque perueniat. Timor itaque in Iuda, cui pauperes ſpiritu comparantur: pietas in Ruben, cui mites aptantur: ſcientia Gad, ideſt tentatio, uel accinctus, cui lugentes tertius ordo connectet fortitudinem. quartus Aſer, cui eſurientes ſitientesq́; iuſticiam congruunt, conſilium deputatũ eſt. Neptalim, cui quinta beatitudine miſericordes iure conueniunt, remedio quippe geritur ſalutari, ut qui uult à ſuperiore iuuari inferiores, alios prout poterat iuuare feſtinet. intellectus Manaſſes coniungitur obliuiſcenti terrena, & puro cordis oculo intuenti diuina, cui ſexta beatitudo uidendi

di Deum relata conſentit. ſapientia autem in Leui, cui præcipuè conuenit portare logium, quod eſt rationale, quæ perfectorum eſt ſolidus cibus. Sapiẽtia enim loquimur inter perfectos, quę ſic in anima hominis, diuinorum capax, contemplatione perficitur, ut actiuã quoq; diſpẽſationem efficax inueniatur: atque ex ueſtra, quæ compoſita uiuens, tanquam theoricè actiua addita dicat, ſiue enim mente exceſſimus Deo, ſiue temperantes ſumus uobis. illi autem hoc potiſſimũ congruit, de cuius ſpecialiter tribu, ſacerdotes iubebantur altare legaliter ſubrogare: qui ſic inhærebant Deo, ut ſacrorum quoquè officio cõſulerent proximo, uel potius populo. Nam & Dominus, de utraq; tribu ſacerdotali, uel regia, ideſt Leui & Iudæ natus, pacificauit terrena

na cœlestibus. Ipse est enim pax nostra, qui se regem & sacerdotem uerum esse docuit. Hinc Elisabeth cognata Mariæ in Euangelio perhibetur. Verum quia ex circumcisione & præputio, idest ex Iudæis & Gentibus Ecclesiam sibi Christus dominus acquisiuit, quando pinguedini oleæ Israeliticæ plebis, gentes tanquam oleastrum inserens applicauit: ut utriusque populi redemptio euidens monstraretur, & numeratis nominatim cunctis principaliter tribubus, ut saluationem quoque gentium memorare dicatur.

POST hæc uidi turbam multam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, ex omni tribu & populo & lingua.] Quos antè sigillatim numerauerat, nunc in unitate consociat.

STANTES in conspectu throni

ni, & in conſpectu agni. & erant amicti ſtolis albis, & palmæ fuerunt in manibus, & magno clamore dicebant, Salus Deo noſtro ſedenti ſuper thronum, & agno.] Stolæ, baptiſmum: palmæ, triumphū crucis inſinuant, & quod ſeculum in Chriſto uicerint: licet charitatem quoq;, quæ per Spiritum ſanctum datur, ſtolæ ſignificent. Hanc, inquam, multitudinem electorum, quos Deus præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius, ſacrati numeri ſigno prænunciat. Et illi enim, qui ex Gentibus ueniunt, Iſrael fiunt: ſicut & filij Abrahæ iure dicuntur, non carne, ſed fide, in illo ſcilicet ſemine, quod eſt Chriſtus, lapis angularis: de quo Apoſtolus, Ipſe eſt enim (inquit) pax noſtra, faciens utraque unum, & medium parietem, & maceriæ

ſoluens

ſoluens inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans, ut duos conderet in ſemetipſum, in unum nouum hominem faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem. Quod autem manibus palmas geſtare dicuntur, aut bonorum operum perſeuerantiam inſinuat manibus. hinc legimus, Confirmauit Dominus brachia eius in opus bonum, & manibus meis nocte coram eo, & non ſum deceptus. ſiue illam poteſtatē ſignificat manibus, quam ut filij Dei per adoptionem fierent, acceperūt. Sicut de Ioſeph, Et omnia (inquit) dederat Dominus eius, in manus eius: ideſt, in eius poteſtatem.

ET magno clamore dicebant, Salus Deo noſtro ſedēti ſuper throno & agno.] Magna uoce grandi

deuo

deuotione, & indesinēti laude profitentes, in throno, ideſt in Eccleſia, Patrem, Filium regnare, Sancto ſpiritu nihilominus conregnante. Eſt enim hic talis ordo uerborum, Deo noſtro, & agno ſedenti ſuper thronum ſalus. Sicut in Euangelio pari loquutione legimus, ut cognoſcāt te, unum & uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: ac ſi diceret, Vt & te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, cognoſcant unum & uerum Deum. Vno autem throno, unius naturæ poteſtas, agni autem nomine perſonalis deſignatur in Patre Filioq; proprietas, ſicut & quando ſolo ſancto Spiritu nominato, ibi intelligendum eſt & Pater & Filius. Nam quū in libro Actuum Apoſtolorū dictum legamus, Attendite omni gregi, in quo uos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos

pos

pos. Confestim adiecit, Regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sibi sanguine suo. Sanguinem porrò pro nobis effudisse, non nisi Christi nouimus cõuenire personæ: unde satis elucet uno etiam nominato, omnem debere intelligi Trinitatem.

ET omnes Angeli stabant in circuitu throni, & circa seniores, & circa animalia quatuor.) Quid esset ipsa turba, his exponens nominibus declarauit, uniuersam enim describit Ecclesiã, Omnes (inquit) qui in circuitu eius sunt, offerent munera.

ET mox ceciderunt in facies suas ante conspectum throni, & adorauerũt Deum, dicẽtes Amen.) Vt ostenderet eandem turbam innumerabilem, quam uidit stantem in conspectu throni, tanquam sibi

pro

probabiliter cognitã, ipſos eſſe angelos, qui ceciderunt in faciem, & adorauerunt. Neq; ipſam turbam, neq; animalia, neq; ſeniores, hoc loco memorat adoraſſe, ſed ſolos angelos: ipſi enim ſunt turba, ipſi ſeniores, ipſi animalia, ipſi proceſſerunt, & adorauerunt Deum, dicentes Amen. Propterea ſcriptum legimus, Lætamini Gentes cum plebe eius, & adorent eum omnes angeli Dei. Propterea,

BENEDICTIO, & claritas, & ſapientia, & gratia, & honor, & poteſtas, & uirtus Deo noſtro in ſecula ſeculorum.) Enumerato ſeptenario uirtutum numero, illa potiſſimũ ratione monemur aliquid quærere, quod eas hic enumerauerit, quarum ſuam Deus Eccleſiam uoluit eſſe participem: ut cum iſta Deo in laudibus dantur, ab ipſo ſę

ea

ea percepisse singuli fateãtur. Considerandum nanq; est, non hic nominari illa, quæ soli competunt Deo, sed quæ etiam fidelibus donare dignatur, benedictio, claritas, sapientia, gratia, honor, potestas, & uirtus. Quorum omnium participatione bonorum, Christi Ecclesiam perbeari gaudemus. Non hic omnipotentia, non hic maiestas, non hic sempiternitas sonuit, quã solus Deus semper iure possedit: sed illa septem, in quibus etiam uniuersæ possunt fidelibus concessæ uirtutes intelligi ab illo, qui eis potestatem dedit filios Dei fieri: ut si quid bonorũ acquirimus, Dei nos largitate habere ueraciter nouerimus, ex abũdantia sane uideo probare de cęteris. Nam & benedictio Ecclesiæ potissimum conuenit, ut legimus, Super populum tuum benedictio

nedictio tua: eis quippe benedictionem dabit, quibus & legem. Et claritas, de qua canimus, Sit ſplendor domini Dei noſtri ſuper nos, ut reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eandem imaginem transformati à claritate in gloriam, crucis nomine cenſeamur. Et ſapientia, non illa genita Deo Patri coæterna, ſed in nobis angeliſq; creata, quam ut lex ab inuicem diſcreuiſſet, dicit, Omnis ſapientia à domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum, & ſubiungit declarata, Prior omnium creata eſt ſapientia, et intellectus prudentiæ ab eo. Et gratia, de qua dicitur, Gratia ſalui facti eſtis per fidem. Et honor, de quo legimus, Gloria autem & honor & pax omni facienti bonum. Et uirtus, de quo Eſaias memorat, Qui dat laſſo uirtutem, & his qui

non ſunt,fortitudinē,& robur multiplicat.

ET reſpondit unus ex ſenioribus, dicens mihi, Qui amicti ſunt ſtolis albis,qui ſunt, & unde uenerunt? Et dixi ei, Tu ſcis Domine. Et dixit mihi, Hi ſunt,qui uenerunt ex magna tribulatione,& ſtolas ſuas candidas fecerunt in ſanguine agni.) Vnum ex ſenioribus, uel Prophetarū corpus,uel Eccleſiam ponit,tanquam præpoſitos inferiora membra docentes,quæ ſit remuneratio futuræ mercedis laborantibus ſperanda. Sicut Apoſtolus de Euangelio, Iuſticia(inquit)Dei in eo reuelatur ex fide in fidem:ex fide ſcilicet prædicantium,in fidem audiētium. Quum autem fidelium numerus ex magna tribulatiōe uenisſe dicitur,quid aliud demonſtratur,niſi quod alibi legimus, Oportet

tet nos per multas tribulationes in troire in regnum Dei. Propterea & Apoſtolus, Fratres (inquit) non deficiamus, tempore enim ſuo metimur. Sic enim per exercitia preſſurarum, fidelium numerus eliquatur, ſicut pondere prælorum adhibito, oleum diligenti cura conficitur, & per trituram tribulæ, recondendum horreo frumentũ ritè colligitur. Quod autem ſtolas in ſanguine agni lauiſſe dicũtur, fructus mercedis oſtenditur, ut præfati certaminis labor æquanimiter toleretur. Benè autem adiecit, Et candidas eas fecerunt in ſanguine agni: ac ſi diceret, Stolas, quas alij inquinauerũt, uel neglectu, uel ignorantia, uel contemptu, poſt gratiam baptiſmi, iſti candidas fecerunt in ſanguine agni, ideſt in gratia Chriſti: aut etiam & ſuſceptione marty-

rij hoc meritum illis in Ecclesia spe cialiter assignari debet, quos pro Christo contingit sanguinem fundere, & stolam baptismi, agni sanguine, cultu meliore reddere clariorem. Quod si ad omnes generaliter fideles hæc redigẽda est gratia, concludendum ad summam, quia & si quis Domini sui fonte mundatur, carne pascitur, classico spiritali succẽditur, sic niuatur. Sunt enim qui etsi martyriũ habere publicũ non uidẽtur in actu, coram Deo tamen habere probantur in habitu.

PROPTER hoc sunt in conspectu throni Dei, & deseruiunt ei die ac nocte in templo eius.) In conspectu throni Dei, Ecclesia est: cui ascensiones in corde disposuit, in conualle lachrymarum, in loco quem disposuit. Seruiens ei die ac nocte: hoc est, & in prosperis & in

aduersis. Ipsi autem intelliguntur templum, sicut & thronum. Denique sequitur,

ET is qui sedit in throno, inhabitabit in eis.) Anima enim iusti, sedes sapiẽtiæ. Sapientia autẽ Christus, Christus uerò Deus.

NON esuriunt, neq; sitiunt unquam, neq; sol super eos cadet, neque ullum æstum patientur.) Non esurient, quia pane uiuo uescũtur: Ego sum (inquit) panis uiuus, qui de cœlo descẽdi. Neq; sitiunt, quia tam præclaro calice ebriantur, ut de eis sit quod ueritas dicit, Qui credit in me, non sitiet unquã. Itemq;, Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Neq; sol super eos cadet, nec mortiferis æstuum incentiuis uruntur. Simile quiddam per Esaiam suæ Deus promit

tit Ecclesiæ, dicens, Spes à turbine, umbraculũ ab æstu: ubi sacramentorum suorum integritatem in suis uigere pronunciat, nec ulla posse tẽtationis adustione uexari: quoniã agnus, qui in medio throni est, reget eos. Superiùs agnum sedentem in throno, librum dixerat accepisse: nunc autem dicit, Quoniam agnus, qui in medio throni est, reget eos: ut doceret, unum esse Patri & Filio thronum, quia Pater in Filio, & Filius in Patre, idest in medio Ecclesiæ, in qua per fidem inhabitat unus, tota Trinitas Deus.

ET deducet eos ad uiuos fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ex oculis eorum.) Hic fons significatur de quo legimus, Apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen: ad quẽ suos Christus ducit regendos, seipsum

ſum uiam præbens, perducẽdo pa triam manifeſtãs, ut impleat quod antè oraculis uitæ promiſit. Aquarum enim tanquam præconiorum poſuit, hunc fontem Salomon deſi gnans dicit, Torrens inũdans, fons ſapientiæ, & abſterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis eorum: illis dicẽtibus, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, conſolationis tempore rectè dicuntur auferri, quando adepta immortalium plenitudine gaudiorũ, omnis mœror poterit obliuioni mãdari, Quia ecce ego (inquit Eſaias) creo Hieru ſalem exultationem, & populum eius gaudium, nec erit ibi uox clamoris, & uox fletus.

Caput

CAPVT VIII

ET quum aperuiſſet ſignum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo ferè ſemihora.) In cœlo, id eſt in Eccleſia. Silentium ſemihoræ, initium oſtendit quietis æternę, & partem ſilentij uidit, quia eadem adhuc uiſurus erat, quod ſeptimo ſigno, non quantum futurum ſit, uidit, ut apertiùs ei multa oſtenderentur. Et interruptũ eſt ſilentium: quod ſi eſſet iuge, hic narrãdi finis fuiſſet. Verũ quia adhuc fuerat iterandum, idcirco ſeries narrationis ordiendæ, conuenienter poſt ſilentium, parem cum ſequenti libro reſumptum ſortietur exordium.

LIBRI SECVNDI
FINIS.

CAPITA
LIBRI III.

SEptem angeli cum totidem tubis, & alius super altare Dei cum thuribulo aureo, & primo angelo tuba canente, grando & flamma in sanguine cõmixta iactatur. I

Secundo angelo tuba canente cornea, in mare missus, parsq; maris in sanguinem uersa. II

Canente tertio, stella ardens, ut facula, de cœlo dicitur cecidisse. III

Quarto angelo tuba canẽte, tertia pars solis & lunæ & stellarum dicitur obscurare. IIII

Vidi alium, ut aquilam uolantem per medium cœlum, dicentem tertio, Væ, uæ. V

Quinto canente stella cadit, cui clauis putei abyssi data, unde fu-

De ama-

FINIS.

PRIMASII EPISCOPI AFRICANI Commentariorũ Liber III In Ioannis Apoſtoli Apocalypſim.

ET uidi ſeptem angelos in conſpectu Dei ſtantes, & datæ ſunt eis ſeptem tubæ.) In ſeptem angelis eccleſiam repeti, iuxta præcedentem regulam nouerimus, quæ propter uniuerſitatem ſeptiformi ſępe numero commẽdatur. Hæc firmiſſimam prædicationis tubam dicitur accepiſſe, qua præualente ſeculum omne fidimus credere. Legimus enim, Sicut tuba exalta uocem tuam.

ET alius angelus uenit, & ſtetit ſuper altare Dei tenens thuribu-

lum aureum, & data sunt ei suppli-
camenta multa, ut daret orationi-
bus sanctorum omnium ad aram
Dei auream, quæ est in conspectu
throni.) Hoc quoque narrationis ge
nus aduertendum est: frequenter
enim Spiritus aliter quàm propo-
nit, breuiter enarrat: & finito eo,
quod ad obscurandum interposue
rat, ad propositum redit. Proposuit
enim septem angelos accepisse tu-
bas, Et alius (inquit) angelus uenit,
ut putes post septem angelos hunc
uenisse, quum uno tempore id ui-
derit. Et angelo ueniēte, illi septem
tubas acceperunt: idest Christo do-
mino ueniente, eius Ecclesia prædi
candi acceperit potestatem. Ipsum
enim super altare, idest super Eccle
siam, quæ eiusdem tota corpus ac-
cipitur sacerdotis: ad quam Petrus
dicit, Gens sancta, genus electum,
regale

regale ſacerdotium.

HABENS thuribulum aureum.) Ideſt corpus immaculatum, Spiritu ſancto ſuperueniente conceptum, quod pro mũdo redimendo obtulit oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, & mundauit conſcientiam omnium ab operibus mortuis. Accepiſſe autem de orationibus ſanctorum idem dicitur & obtuliſſe, quia per ipſum, omnium poſſunt preces ad Deum ſuauiter peruenire. Hinc Apoſtolus, Per ipſum (inquit) offerimus hoſtiã laudis ſemper Deo, ideſt fructum labiorum confitẽtium nomini eius. Ob hoc ipſe interpellare dicitur, non tantum pro peccatis, ſed etiam pro totius ſeculi ſalute: ſicut beatus Ioannes, Et ipſe eſt (inquit) exoratio pro peccatis noſtris.

ET aſcendit fumus ſupplica-

tionum

tionum orationum ſanctorum de manu angeli ante cõſpectum Dei, & accepit angelus thuribulum,& impleuit illud ex igne aræ Dei,& miſit in terram.) Benè thuribulum igne plenum inducit: non enim ad menſuram, inquit, dat Deus Spiritum: quod propriè de Chriſti humanitate nouimus adimpletum, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et quoniam eiuſdem Spiritus participem ſuam tantũ Eccleſiam uoluit, hoc hic ſpecialiter demonſtrauit. Hinc & Dominus in Euangelio dicit, Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo, niſi ut ardeat? Hunc ignem nũc ſignificare puto: hoc autẽ igne peccatores, tanquã uaſa fragilia in fornace fatiſcentia nouimus reprobari: & iuſtos, tanquam uaſa honoris integra, cognoſcimus approbari.

Quia

Quia per unum ignem, non eundem pars impiorum cum iustis sortitur effectum: sicut nec stipula & aurum, quorum alterum consumi, alterū probari cognoscimus: quemadmodum sub uno pręlo dispar ab amurca oleum obtinere, certum est meritum. Hic itaq; ignis missus in terram, prædicatorū mentes significauit: tertiam uerò partem terræ, arborum, ac fœni, ac uiriditatis incendisse dicitur: ac si diceret, Vasorum inutilium partem reprobans perdidit, siue exterius, siue intra Ecclesiā positam: si quis enim superædificauerit super fundamentū hoc ligna, fœnum, stipulam, igne cuncta depereunt. Aliter. Et accepit angelus thuribulum, et impleuit illud ex igne aræ, & misit in terram. Et accepit Dominus corpus, idest Ecclesiam, & perficiendo Patris uoluntatem

tem, impleuit illam ex igne aræ, idest ex potestate soluendi atq; ligandi, quæ consistit in sacrificijs & propitiatione Dei. Hinc etiam dicitur, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem ardentem. In his enim accepit Ecclesia omnem potestatem in cœlo et in terra: dum Dei sacrificium perficit, offerente Domino se principaliter exhibentibus sanctis sua corpora hostiam uiuam sanctam, Et misit eum in terram, quoniam per Ecclesiæ prædicationem ueniet futuræ indignationis mundo notitia. Sicut Zacharias dicit, Ponam tribunos Iuda, sicut torrentem ignis, & cætera. Ad utrunq; autem sensum hoc quod sequitur poterit coaptari,

ET facta sunt tonitrua & uoces & fulgura & terræmotus.) Omnia hæc spiritalia sunt, & Ecclesiæ

ſunt: ideſt uoces increpantium, minæ, genimina uiperarum, & cætera: uel, Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnũ cœlorum. Tonitrua, prędicationes fidei Christianæ: fulgura, uirtutes ſanitatum: terræmotus, perſequutiones, quas prædicit uenturas, & uarijs patitur temporibus uenientes. Repetit autem quæ propoſuerat, eadem dicturus conſuetò per partes.

ET ſeptem angeli habentes ſeptem tubas, & præparauerũt ſe, ut tuba canerent.) Eccleſia ſeptiformi numero ſępius commendata, ſe ad prædicandum fiducialiter præparauit.

ET primus angelus tuba cecinit, & facta eſt grando & flamma commixta in ſanguinem, & in terra iactata eſt, et tertia pars terræ dearſit, & omne fœnum uiride dearſit

arſit

arſit.) Quod eſt terra, hoc arbores, ſed de ipſis tertia: de fœno autem totum dicit arſiſſe. Terrã enim hic terrenis arboribus homines figurãtur infidelitate nudantes, tanquam omni uento doctrinę commoti, de quibus & Iudas Apoſtolus ait, Arbores autumnales infructuoſæ eradicatæ, bis mortui. Fœnum autem et uiride dicit, carnem luxibus ſaginatam, Omnis enim caro fœnũ. Sed licet tres quartas contra unam, quę eſt Eccleſia, antè poſuerat: modò tamen contrariam Eccleſiæ partem ad duas tertias coarctauit: tertiam ſcilicet, bonis intra Eccleſiam mixtam in falſis fratribus, & aliam in errore gentilitatis, & hæreſeos prauitate, aperto ſchiſmate ſeparatã, ut Eccleſia, ideſt una tertia, contra geminum dimicet malum, tanquam ſimplicitas duplicata reſiſtens. Sic

 Rex

Rex cum decem milibus contra uiginti milia habentem in Euangelio pugnaturos processit. Sic Deus per Zachariam promisit, dicẽs, Et erũt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ, in ea disperdentur & deficient, & tertia pars derelinquetur in ea, & ducam tertiam partem per ignem, et uram eos, sicut uritur argentũ, & probabo eos, sicut probatur aurum: ipsi inuocabunt nomen meum, & ego exaudiam, & dicam, Populus meus es: et dicẽt ipsi, Dominus Deus meus. Memoratã malorum partem in duabus tertijs consistentem, propter unius corporis formam, tanquam unam personam Scriptura sæpius memorat, aliàs pluraliter, aliàs singulariter eam inducens.

ET secundus angelus tuba cecinit, & ut mons magnus igne ardens

dens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris in ſanguinem, & mortua eſt tertia pars piſcium, & tertia pars nauium periјt.) Mons ardens in mari, diabolus miſſus in populos. Tertia pars maris in ſanguinem: ſanguinem ponit ſapientiam carnis, quæ inimica eſt Deo: propterea dicitur, quia per eam anima humana perimitur. Hinc Apoſtolus, Sapere (inquit) ſecundũ carnem, mors eſt, quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Maris uerò nomine, & arborum, & piſcium, & nauium, ſeculum cum habitantibus ſuo more complectitur. Denique quum unam tertiam uerſam dixiſſet in ſanguinem, animarum ſignificans mortem, conſumptam eandem poſtmodum in duas diuidi & tertia, dicens, Et mortua eſt tertia pars piſcium, et tertia pars

nauiũ perijt. In una illa genus mortis ostendit, in istis numerũ assignauit. Alia æditio dicendo, Habentiũ animas, ostendit, sicut de uidua Apostolus dicit, Qui in delicijs agit, uiuẽs mortua est. Idcirco sic sonat, tanquam tertia aliam tertiam occiderit, noxiam traditionem, & inutilis imitationem doctrinæ.

TERTIVS angelus tuba cecinit, & cecidit de celo stella magna, ardens ut facula, super tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur Absinthium (uel sicut alibi dicitur Absentium) & facta est tertia pars aquarum, sicut absinthium, & multi homines mortui sunt ab amaritudine aquarum.) De cœlo, tanquam de Ecclesia homines cecidisse designat, tales scilicet, quos homines putabant bonis meritis præfulge-

re

re:ideo ſtellæ & faculæ comparantur, quos Iudas Apoſtolus arguit, dicēs, Sidera ſeductionis, ſeducunt enim ſuperficie ipſa nitoris. Hos Dominus etiam parietibus & ſepulchris comparat dealbatis, & quia ruina maiorum ſolet uexare complures, ideo ſuper partē fluminum & fontium ſtellam memorat cecidiſſe, cuius nomen Abſinthiū, pro grandi amaritudine ponit. Talibus enim cadentibus plures nouimus infirmari, & peſſimam doctrinam imitatione corrumpi: hoc autem recte abſinthio comparauit, in cuius amaritudinem uertitur. Hoc Scriptura alibi quoq; ſignificās, talibus dicit, Plantaui te ſicut uineam electam, quomodo uerſa es in amaritudinem uitis alienæ? Hanc autem tertiam ponit pro parte malorum, quum alios, qui cadentium debue-

rant experimento reddi cautiores, eorũ incurrunt imitatione defectũ.

ET quartus angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars solis & tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ut minus lucerẽt, & dies eandem partem amitteret, & nox similiter.) Sol, luna, stellæ, Ecclesia ponitur. Aptiùs sanè quarto angelo memorato, horũ uoluit facere mentionem, quæ quarto die in conditione mundi facta narrantur, ut præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem à tenebris: ut quum isti mali, quorum unum corpus est exterius apertum, intusq́ latens, ab Ecclesia separẽtur, minusq́ lucere suis transgressionibusq́ Ecclesiæ faciant dignitatem, quasi tertiam partem solis, & tertiam partem lunæ, & tertiam partem stellarum suis obscuritatibus adimentes, contra ordina-

tionem

tionem conuincantur facere Creatoris, qui ſicut ſolem & lunam & ſtellas loco uel ſpecie, cæteris eminere uoluit uiſibiliter conditis: ita Eccleſiam ſuam, quam dignitate et gloria per totum mundum dominari præcipit, uelle obſcurare notantur. Nomen enim Dei (inquit Apoſtolus) per uos blaſphematur in Gentibus: per quos enim blaſphematur bonum nomen, lumen uidentur obſcurare genuinum. Verum ne pro libitu hoc fieri poſſe, & ſine modo ab hominibus putaretur, menſuræ quodammodo terminum præfigit, illam ipſam malorũ partem, diuerſam nationem ſignificans: quam enim tertio angelo unam, memorauerat tertiam. Hinc in tripartito modo commemorat, dicens, Tertiam partem ſolis, tertiam lunæ, & tertiam ſtellarum fuiſſe

 dimi

diminutas, ut uidelicet in istis luminaribus duæ partes integræ in suo statu permanserint, nec quẽquam de electorum numero perditio, aut obscuritas illa cõtigerit. Non enim perijt (inquit) nisi filius perditionis, nouit Dominus, qui sunt eius. Aliter, rei cuiusque perfectio in duodecim unciarum summa consistit: idcirco tertiam solis, tertiam lunæ & stellarum tertiam dicit obscuratas, idest quaternas uncias, ex quibus conficitur corpus omne malorum, multis sæpe locis uariè designatũ. In bonis autem datur intelligi, octo in singulis uncijs remansisse, ter octonos uigintiquatuor, tanquam perfectionem, quæ in propositis constat & populis. Tertia hic nomen, idest partes malorũ. Duæ autem partes, una diei, altera noctis: cui Hieremias dicit, Noctem adsimilaui

ſimilaui matrem ueſtram. Ad hoc ergo percuſſa eſt, ut appareret tertia diei, & tertia noctis, quæ Christi, & quæ diaboli. Non autem dixit, percuſſa eſt, & obſcurata eſt tertia eorũ, & non apparuit tertia diei & noctis, ſed ut obſcuraretur & appareret, quia nõ ut percuſſa eſt, apparuit. Sed ad hoc percuſſa eſt, id eſt ſuis uoluntatibus tradita, ut redundantibus & inſoleſcẽtibus peccatis, in ſuo tempore reuelaretur, quarto enim ſigno dicitur percuſſa, ut reuelaretur, quinto uerò dicturus modum ipſius reuelationis, ut exinde cognoſcatur, qualis in toto orbe futura ſit reuelatio.

TVNC uidi, & audiui unum angelum, ut aquilam uolãtem per mediũ cœli, dicẽtem uoce magna, Væ, uæ, uæ habitantibus terram, & reliquis angelis tribus, qui tuba

caniturí sunt.) Aquilam dicit terrenis contemptis, in cœlestia præpeti uolatu pergentem. Ecclesiam dicit uolantem in medio cœlo, quæ mũdum possessura est uniuersum, & dicit, Conuersatio nostra in cœlis est. Rectè designatur in medio, Omnes, inquit, qui in circuitu eius sunt, offerent munera, & in medio autem Deus discernit, & operatus est salutem in medio terræ, & Dominus in circuitu populi sui. Ecclesia itaq; uenturas diuersæ calamitatís plagas & uidere & prædicare comprobatur & flere. Ideo & reliquís Angelis, qui tuba canituri sunt, dicit, Quia hæc per diuersa tẽpora cernit atq; discernit.

CAPVT IX

ET quintus angelus tuba cecinit, & uidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi, de quo puteo aſcēdit fumus, tanquam de magna fornace, qui ſolem & aerem tenebris obſcurauit, & de eo fumo exierunt locuſtæ in terram, & data eſt eis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ, & dictum eſt illis, ne nocerent fœnum terræ, nec ullum uiridem, nec ullam arborem.) Stella cadens caput & corpus eſt impiorum, ideſt diabolus cum ſocietate malorū, ſimiliter peccato cadētium: nam & de ipſo Eſaias dicit, Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Et abyſſus, & puteus, homines ſunt, qui latebras errorū, id-

eſt

eſt latẽtes in corde nequitias, etiam intra eccleſiam poſiti, tãdiu uidentur temporales fraudes contegere, quãdiu occulto quidem, ſed iuſto Dei iudicio poteſtatem accipiant temporalem, hanc arbitror clauem putei eos accipere, per quem uenena ſui cordis aperiant, & in apertũ manifeſti prorumpant. Oportet enim, ait Apoſtolus, hæreſes eſſe inter uos, ut probati manifeſti fiant in uobis. quando enim hæreſis naſcitur, amplius ueritas prædicatur, ut fidei defendatur integritas, latẽs iamdiu falſitas opportunè fruſtranda detegitur. De illorum enim cadentium numero, ſchiſmatici & hęretici frequenter oriuntur, de quibus Eccleſia ueraciter dicit in Cantico canticorum, Filij matris meæ dimicauerunt aduerſus me: quum ſcilicet aut per occiſionis ſcandala,

aut

aut patrocinia fauorum, quæ secu-
larium potestatum desideratam re-
perirent facultatem, latētia dudum
malæ credulitatis uenena aliis eti-
am prædicare rectè, qui fidei uerita
tem, serenitatis luce perspicaciter
refulgentem, tenebrosis disputatio
nibus obscurant. Ipsos enim signi-
ficant locustæ de fumo exeuntes. li
cet enim sicut fumus hæretici alta
uideantur appetere, quum in suis
affectant principari doctrinis, ta-
men sicut idem fumus in seipsis de-
ficiunt. De hoc fumo dictum legi-
mus, Ex persona malorum fumus
afflatus est in naribus nostris, & ser
mo scintillæ ad commouēdum cor
nostrū, quum aduersus sapientiam
dominū Iesum Christum impii no
xia moliri narrantur, qui etiam con
tra eius Ecclesiam militare hic iam
describuntur. horum malitiā more
lædens

lædens fœnum uiride, & arbores lędere cohiberetur, in fœno, paruulos lacte fidei Christianæ contentos: in uiridi, germine uirtutum inchoantes uiuere significãs: non ariditati, sed fertilitatis fructibus propinquantes, in arboribus autem illos in Ecclesia præfigurans homines, quorum iam fructibus spiritaliter gratulatur. De primo paruulorum genere legimus, Qui fundauit terram super aquas, idest baptismi. De secundo, In stillicidijs suis lætabitur, quũ exorietur. De tertio, Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Ex his autem omnibus ille electorũ perficitur numerus, quem locustarum morsus nocere cohibetur, Nisi homines (inquit) qui non habent signũ Dei in frontibus suis: non enim ait Apostolus, omnium est fides, His etiã solem prædicit ob

scurari

ſcurari, nec tamen extingui: quoniam licet ſuperabundante iniquitate refrigeſcat charitas multorum: ſummum tamen fundamentũ Dei ſtat, ut ſcriptum eſt, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus, qui ſunt eius: &, Diſcedant ab iniquitate omnes, qui inuocant nomen Domini. Iſte uerò fumus quibuſdam faciens cęcitatem, ideo fornacis magnæ dicitur, quia nouiſſimæ probationis tribulationem præire cognoſcitur. Niſi tantũ homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, illo hic loquutionis genere uti uoluit, quod multis locis Diuina ſcriptura frequẽtat, quo dicit, Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo: pro eo ac ſi diceret, Qui ſic edẽt, ut edenda eſt, & ſic bibãt, ut bibendus eſt ſanguis meus. Multi enim

quum hoc uideantur accipere, in Deo non manent, nec Deus in ipſis: quia iudicium ſibi mãducare & bibere perhibentur. ſic etiã ſignum Dei in frontibus illi habere dicuntur, à quibus, ut oportet, habetur: ſicut illud eſt, Nemo dicit Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. Quum norimus multos eum hæreticos, falſosq́ Chriſtianos ſuperficietenus nominare, corde fugato, non recto, ſanctus autem Spiritus diſciplinæ effugiet fictum.

DICTVM eſt illis, ne occiderent eos, ſed ut cruciarentur menſibus ſex: & cruciatus eorum, ut cruciatus ſcorpionum, quum percuſſerint hominem.) Gemino modo hic locus intelligi poteſt, aut eos ipſos ſignum Dei habentes in frontibus, occidere non ſinũtur: quos tamen cruciari tempore aliter permittuntur

tuntur: ſicut de Iob Deus præcepe rat, dicens, Animam tantũ eius ne tetigeris. Sic etiam hic ſuperius prę miſſum eſt, ne læderent fœnum, & cætera, iamq́ſubiecit, Niſi tantum homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, tanquam de his adhuc loquens, Et dictum eſt, inquit, illis, ne occiderent eos: ideſt in anima, eo quod exercendi tantum, non occidendi eſſent, ſed ut cruciarentur menſibus ſex, ideſt in hac tantummodo uita, quæ ſex ætatum articulis diſtincta peragitur, ut pro ætatibus menſes intelligas poſitos. Hic enim tantum impij in bonos graſſari temporaliter permittuntur: ſicut legimus Iob dicente, Tradita eſt terra in manus impij, id eſt corpus: & cruciatus eorum, ut cruciatus ſcorpionum quum percutit hominem, ut quum iſti ſigna-

ti posteriora contempserunt, in anteriora extenti sequantur ad palmã supernæ uocationis, inde cruciari ab alijs uideãtur, quod ipsi per contemptum seculi respuerũt, idest aut potestatem secularem, aut malæ credulitatis errorem. Sicut enim scorpius à posterioribus uenena diffundit, sic omnis uel impietas seculariũ potestatum, uel malorum prauitas doctrinarum, à posterioribus nocet, cum anterioribus, idest æternis bonis, posteriora, idest temporalia bona præponit, aut minis frangẽs, aut commodis blandiens, dummodo spem melioris uitę percipere studeat. Inde ouo scorpionem econtrario Dominus in Euangelio posuit, tanquam in nouam uitam nasciturо, spem futuræ uitæ præripiat. Si autem aliter intelligi potest, ut non ipsos signatos dixerit cruciari,

sed

ſed alteros: ut quaſi iſte uideatur ordo uerborum, Niſi tantũ homines, qui non habẽt ſignum Dei in frontibus ſuis. Et quia de præpoſitis hæreticorum dicturus erat, debuit illos etiam hic nominare, qui ab eis reducti, poſtea meruere conuerti. Et dictum eſt illis, inquit, ne occiderent eos, & cætera. Vt illi hic intelligantur, qui licet falſis doctrinis fuerant irretiti, circa finem tamen uitæ compuncti, diuinam recipiant ueritatem, ita ut à poſterioribus, quibus decepti fuerant, cõgrua dicantur pœnitudine cruciari, quum reſipiſcentes à diaboli laqueis, cognita firmiter ueritate, non eos iam uiuere libeat, ſed mori delectet, qui tantum dudum iniquitatem in excelſo loquuti ſunt. Vtriſque autem expoſitionibus conueniunt, quæ ſequuntur, quum dicit,

ET in diebus illis quærent mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.) Siue enim illi signati sint, qui sic mori affectant mũdo, ut uiuant Deo, siue isti sint, qui uarijs pridem erroribus implicati, sera saltem nobis sint compunctione reddendi, quærent mortem, & non inueniẽt eam, & desiderabũt mori, & fugiet mors ab eis. Potest etiam dici, Mortificati uiuunt, aut mortui uiuunt: sicut Apostolus dicit, Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est: quemadmodum econtrario de uidua dixit, Viuẽs, mortua est. Quid uerò aliæ translationes quinꝙ mensibus continent, ad quinquepartitum sensum, quod in hac uita utimur, arbitror redigẽdum, ut utroꝙ numero, siue quinario, siue senario pręsentis uitæ significauerit tempo

ra

ra,exuta quippe anima corpore instrumentis talibus non egebit:ſed etiam quum mortale hoc induerit immortalitatem, nulli ſanctorum erũt ſenſus iſti nociui,ubi non erit lex carnis, repugnans legi mentis.

ET ſimilitudines locuſtarum, ſimiles equis paratis ad prælium,et ſuper capita earum,tanquam coronæ ſimiles auro.) Locuſtas & equos paratos ad prelium,malarum doctrinarum ponit autores:quia et ſicut locuſta,quæ ore nocet,ita ſuis & illi prædicationibus lacerant,ſicut legimus,Lupi graues non parcentes gregi,& ſicut equi anfractibus uagis excurrunt,ut plures tali bello perimant,quos ſeducunt.Horum autem uictoria,qualibus ſit coronis ſignificata,conſiderare debemus: neque enim dixit,ſicut antea de bonis loquens,Super capita eo-

rum coronæ aureæ, ſed Tanquam coronæ ſimiles auro, ac ſi diceret, non tamē ex auro. Licet enim omnis falſitas principari affectans ſimilitudinem ueritatis uſurpet, differt tamen dignitas ſapientiæ, à ſimulatione doctrinæ. Hinc & diabolus iure ponitur, quod ea ſibi exhiberi uelit, quæ Deo nouit ſoli cōpetere: ſic & hæretici habentes formam pietatis, uirtutem autem eius abnegantes.

ET facies earum ſicut facies hominum, & habebant capillos, ut capillos mulierum.) Si in ore falſa doctrina deſignatur, iuſtè in capillis mulierum effœminatos mores habere deſcripſit, & animos ſeductilibus expreſſit. Hinc Apoſtolus, Hi ſunt, inquit, qui penetrant domos, & captiuas ducūt mulieres eorum, & mulierculas oneratas peccatis,

quæ

quæ ducuntur uarijs desiderijs, & cætera: quibus & præpositos explicat, & seductos, ut non solum credulitate fallaces, sed etiam moribus reprobos demonstraret: nam & historica ueritate utrunque sexum uidetur ostendere. Multis enim hæreticis fauorem præbuere mulieres, ut Priscilla & Maximilla Montano, & Lucella Donato.

ET dentes earum, sicut leonum erant, & habebant pectora sicut loricas ferreas.) Dentes leonum non solum laniare, sed etiam naturalem solũt afferre fœtorem. Et quoniam ad hæc circumquaq; sicut equi discurrũt, ut sibi temporaliter famam prædicatorum acquirant, recte intelligitur eorum fœtor, opinio: in bono nanq; Apostolus dicit, Quia Christi bonus odor sumus deo. Iste ergo malus odor ex mala doctrina

ad odorem oris leonum est per similitudinem redigendus. Ferreis porrò loricis contra ueritatem obfirmata notat, duraque præcordia. Sic enim retinent pro ueritate mendacium, ut pro fide putent defendēdam omnino perfidiam, quocirca tales & corde perfidos, & ore blasphemos, & moribus reprobos circumscripsit.

ET uox alarum earum; sicut uox curruū equorum multorum currentium in bellum.) Ipsos significans multiplicatos in curribus, quos adhuc paucos præmisit in equis, siue nouarum diuersitate sententiarum actos, siue numerum seductorum multiplicatos insinuās. In bellum quoque currunt, quia prædicatores errorum ueritati rebellāt, unitati repugnāt, quos simili Apostolus forma describit, dicēs, Sicut

Iam-

Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt ueritati, homines corrupti, mente reprobi, circa fidem, & cætera.

ET habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculeos, & omnis poteſtas illarum in caudis earum erat, lædendi homines menſibus quinque.) Scriptum meminimus in Eſaia, Longæuus & honorabilis ipſe eſt caput: & Propheta loquens mẽdacium, ipſe cauda eſt, & erunt qui beatificant populum meum ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati. Vnde claret & iſtos ex ea parte dominari uelle, qua omnes ſancti ueritatisq́ doctores ſtudent magnopere præcauere, ideſt gloriã ſecularem, & noxiæ prædicationis errorem. Ideo in cauda earum, poteſtas earum, quinq; mẽſibus hanc uitã rurſus inſinuat, ubi poteſt ualere

ſere mendacium, uel ad capiendum inutiles, uel ad cruciandum temporaliter ſpiritales. Hinc legimus, Vidi inſipientes, & tabeſcebam, & tædium tenuit me à peccatoribus.

ET habebant ſuper ſe regem, Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè, Amageddon, Græca autem lingua, Apollonion, & Latina lingua nomen habens Exterminans.) Deus ſummè bonus, licet occultus, iuſtus tamen iudicijs, congruum talibus Angelum præeſſe permiſit: à quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Idcirco Apoſtolus dicit, Traditos in omni ſeductione iniquitatis: eo quod charitatem ueritatis non receperunt, ut ſalui fierent: & ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacium: & iu

dicen

dicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Conuenit autem expreſſa proprietas, ideſt exterminans.

VAE unum abijt, & ecce alia duo uæ ſequuntur, & ſextus angelus tuba cecinit.) Primum uæ dicit abijſſe, & ſexti tubam angeli perſonaſſe, hic nouiſſima prædicatio ſextæ ætatis denunciatur.

ET audiui unum ex quatuor cornibus aræ Dei aureæ, quæ ſub oculis Dei eſt, dicentem ſexto angelo, qui tubam portabat, ſolue quatuor angelos, qui ſunt uincti ſuper flumen illud magnũ Euphraten.) Hic oſtẽdit eoſdem ſignificare uentos, quos angelos, dixerat enim ſuperius uentos teneri ab Angelis, nunc angelos dicit ab angelo ſolui, qui eſt Eccleſia, quæ ſoluendi & ligandi acceptam retinet poteſta-

tem, ideſt, Qui habebat (inquit) tubam, ideſt prædicandi poteſtatem. Hinc dicitur, Quaſi tuba exalta uocem tuam. Solue quatuor angelos, qui ſunt uincti ſuper flumen Euphraten, quos duxerat in quatuor angulos terræ, ut oſtẽderet Euphratis nomine mundani regni potentiam, & perſequutorum multitudinem deſignari, in quo diabolus noxiaq; uoluntas ideo ligata dicitur, quia non quãtum uult nocere permittitur. Euphrates enim fluuius eſt Babyloniæ, quã in Diuinis ſcripturis in malo poni frequenter ſcimus, Hieremias quoq; dicit, Dies ille domino Deo noſtro dies ultionis, ut ulciſcatur in inimicos ſuos, & deuorabitur gladius, & implebitur ſanguine eorum: quoniam ſacrificium Domini Sabaoth in terra Aquilonis, in flumen Euphraten.

Sacri

Sacrificium hic non placationis annuntiat, nouissimaq́ persequutio ideo cęteris uehemẽtior futura prædicatur, quia tunc cum suis ministris soluto diabolo, amplius aut nocere, aut exercere permittitur. Sequitur denique,

ET soluti sunt illi quatuor angeli.) Incohare persequutionem significat, qui erant parati in horam et diem & mensem & annum, ut occiderẽt tertiam partem hominum, quatuor hæc tempora, quibus persequutio ipsa grassabitur, congrua sensim significatione prænunciat, idest triennium, & sex menses. Propterea autem in horam & diem & mensem & annum, quia & horis gradatim dies, & diebus menses, et mensibus certum est annos impleri. Parati ut diceret, proprietatẽ diaboli, & angelorum eius expressit, qui

qui contra Ecclesiam Christi inextricabiles inimicitias gerentes, nocendi habens iugiter uoluntatem, sed Diuina potentia, ne quantum uult noceat, refrenatur. Merito & præmisit de locustis, similes esse equis paratis ad bellum: nam quum dicat angelos solutos, equos se dicit uidisse.

ET numerus militantium equitum illius octoginta milia.) Audiui numerum illorum, ut occiderēt tertiam partem hominū: illud corpus omne malorū, multis modis rursus insinuat. Octoginta porrò milia, sicut à senarij numeri perfectione sexagenarius bonorum nobis specimen figurat: unde scriptū legimus, Sexaginta sunt reginæ. Ita octogenarius, in malo nonnunquam poni solet: surgit enim à quaternario, propter quatuor corporis qualita-

tes, frigidam & calidam, humidam & ſiccam: uel propter quatuor perturbationes, quibus humana ſæpe uita uexatur, metum, cupiditatem, dolorem & gaudium, quæ propter ſexum geminum duplicata, octo faciunt. Hic numerus per denarium ſimiliter ſurgens, octogenariũ confecit: in quo malorum quodammodo partem oſtendit militantiũ equitum contra corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia: id eſt, idcirco ſequitur & illic, Et octoginta concubinæ ſunt, tanquam non legitimo ſociatæ coniugio, ſed potius fraudulento, quod omnibus propriè hæreſibus congruit. Quia ſic temporaliter fidei ſacramenta, Chriſti nomine palliati pertractant, ut ſicut concubinæ non ſemper in domo manſuræ, ſic & iſti momentaneum uel commodum, uel principatum, uel

u huma

humanæ laudis plausum de Christi nomine habere desiderent: nec laboris est inter merita reginarum & cōcubinarum, rectam rationem discernere, quum ipsis quoque nominibus & reginarum eluceat dignitas, & concubinarum deformitas pareat. Alia porrò trāslatio, quam Tychonius exposuit, habet, Et numerus exercituū bis myriades myriadum: ubi dispositione præteriens, hoc tantū adiecit, dicens, Non dixit quot myriadum. Videtur autem nobis in ista trāslatione totam dictorum partem hominū non incongruè figurasse: bis myriades enim, uiginti milia perficiunt. hunc autem numerum Dominus in Euangelio ponit, Regi habenti decem milia, tanquam malorum duplicitas Christianæ simplicitati resistat. Secundum hanc igitur intelligen-

tiæ regulam, qua ſimplici denario uicenarius duplex obijcitur, ſubiecit, dicens Myriadum: & ſilendo quantorum multos ſupernumerarios figurauit: quaſi cõgregati, non tamen fuerint reputati: de quibus & Propheta ait, Annunciaui, inquit, & loquutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Huius multitudinis incerta confuſio, in prima quoq; piſcatione diſcipulorum ante Domini ſignificata eſt paſſionẽ, per quem & nauigia premebãtur, & retia ſcindebãtur, ut propriè hæreticis falſisq; Chriſtianis cõueniat coaptandum. quæ & inteſtinis contentionibus Eccleſia plerunq; grauatur, & hæreticorum impugnationibus exercetur, ut retia ſciſſa, ſchiſmata cognoſcantur fuiſſe commiſſa. in hac piſcatione numerum ſimiliter ſiluit, ſicut hic, Bis myriades

myriadũ:ac ſi diceret, Vocati quidem, nec tamen in electorum plenitudinem computandi, Multi (inquit) ſunt uocati. pauci uerò electi. In alia denique piſcatione pro Domini reſurrectione, & numerus dicitur, & magnitudo piſcium prædicatur. & illæſum rete narratur: quocirca ſicut bis myriades myriadum hæreticis falſisq; Chriſtianis conuenit applicandum, ſic reſidui malorum: quos etiam in Gentibus eſſe ſuperior expoſitio continet. ſubſequenti nunc ordine memoratur, ut ex iſtis omnibus perſonis, diaboli corpus omne conſiſtit, immo conſiſtere demonſtretur, ideo ideſt Iudæorum & hæreticorũ, falſorum Chriſtianorum & gentilium. Pòſt paululum deniq; ſequitur, ipſorum inſinuans gentilitates errorum, Et cæteri, inquiens, homines, qui his plagis

gis non ſunt interempti, neq; egerunt pœnitentiã factorum ſuorum malorum, ne adorarent dæmonia, & ſimulachra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, & cætera: quibus oſtenditur in pleno circũſcripto, his inſinuari corpus omne malorum.

ET uidi equos in uiſione, & ſedentes ſuper eos, habentes loricas igneas & ſpineas & ſulphureas & erant eis capita leonum.) Equi, homines ſunt: ſeſſores hic in malo, ſpiritus nequam. Sicut enim in bono legi præmiſimus, Qui aſcẽdis ſuper equos tuos, ideſt prædicatores, & equitatus tuus ſanitas: hic econtrario, mali ſpiritalibus nequitijs adiunguntur. De capitibus leonum ſatis ſuperq; iam dictũ eſt, uerum (quod præteriri non debet) & ſi aliqua ſimilitudo locuſtarũ in equis,

& equorum non inuenitur in leonibus: utraque tamen per significationem hæreticorũ congruunt, adducta personis: unam enim rem dissimiliter describit diuini eloquij latitudo. In descriptione autem uel qualitatibus loricarũ pœnæ significatæ impiorum, ut legimus eis, qui adorant bestiam, promitti, ignis & sulphur & fumus de tormentis eorum in secula seculorum ascendit: & quia hæc translatio adiecit spinas, præcedens monstrauit meritũ tormẽtorum. Spinæ significant uitia, cuius intelligentiæ ordinem & Apostolus exprimit, dicens, De simili terra, eo quod spinas & tribulos germinans maledicta est, cuius consummatio in combustione: unde dicitur & in illa originalis pœna peccati, Spinas & tribulos germinauit tibi, & Salomon, Spinæ (inquit)

quit) nascuntur in manibus temulenti, & de ore eorum exibat ignis & fumus & sulphur, bene hic significatur, eoq́ procurat. Illi enim inducũtur hæc habere, & ex ore proferre, quorum noxia prædicatione seducti intereunt cruciandi, igni, fumo, & sulphure, quod exiebat ex ore eorum. Verbis ergo capitũ suorum, ideſt principum doctrinę, has plagas incurrere perhibentur: nam poteſtas equorum in ore & caudis eorũ erat, ideſt in sermonis officio. Cauda enim, prædicatores reprobos ponit: nam caudę eorum erant similes serpentibus, habentes capita draconum, de quibus nocebant. Bene hic in similitudine præuaricationis antiquæ serpẽtum meminit, cuius sibilo mulier seducta audacter inconcessa tetigit, & iure perdidit, quod accepit, sicut iſti capita

draconum, ideſt mundi principes. Dracones enim animalia ſunt terrena, ſæpe aquis habitantia, omnibus penè beſtijs grandiora. Principum ergo patrocinio fulti, noxia prædicantes amplius nocent, quaſi ſolo ſermone ſuaderent. Ideo ait, capita draconũ, de quibus nocent: iam nunc de Gentibus dicit, Et cæteri homines, qui in his plagis non ſunt interempti, neq; egerunt pœnitentiam factorum ſuorum malorum, ne adorarent dæmonia & ſimulacra aurea, argentea, & ærea, et lapidea, & lignea, quæ neq; uidere poſſunt, neq; audire, neq; ambulare, & pœnitentiam non egerint ab homicidijs, neque à ueneficijs ſuis, neque à fornicationibus ſuis. Hæc præoccupans antè præmiſi, ut omnes ad ſiniſtram futuros circumſcribendo cõcluderem. Veneficia hic

in

in malo commemorat. Veneficos enim ſæpe appellamus maleficos. Narrationis proinde conſiderandus eſt textus. Deſcripto enim nouiſſimo certamine, et gentium morte, prętermiſit ſeptimum angelum, ſub quo nouiſſima perſequutio, & Domini manifeſtus ſperatur aduẽtus, & præſentis tẽporis Eccleſiam memorat, ut diuerſis hoc modis inſinuans, quum ea quæ omiſerat, recapitularet, duos fines narrare uideatur. Meminerimus itaq; quum adorationem ad finem uſque perduxerit, debere finem ordine conciſo ſubiungi. Præter ſolitum enim fecit ambas narrationes, non uno fine concludendo. Deſcribit enim prędicationem futuræ pacis, quàm ſit fortis, quàm terræ mariq; perſpicua.

Caput

CAPVT X

ET uidi angelum alium fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & arcus super caput eius, & uultus eius erat, ut sol, & pedes eius sicut columnæ ignis.) Dominum Christum descēdentem de cœlo nube amictū, idest Ecclesia, siue nube carnis indutum, quæ noua nupta alibi dicitur de cœlo descendere: uel sicut Daniel dicit, Filium hominis uenisse in nubibus cœli, & arcus super caput. Circa bonos, propitiationis promissio perseuerans: sed etiam illos significans, quos ante Domini aduentū, martyrio contigit decorari, ut Abel, & cæteri. Bene autē supra caput arcum dicit, quod alia translatio irim posuit, quo Ecclesia circumamicta describitur, tanquam membra sic cor

pore

pore præmissa, ut tamen capiti cohærentia demonstrentur. Et uultus eius erat ut sol: manifestò per resurrectionis gloriam Domino Christo, de quo legimus, In sole posuit tabernaculũ suum: ubi scilicet clareret, nec ultrà lateret. In uultu enim, manifestatio præsentiæ designatur: quam Propheta expectans dicebat, Ostende faciẽ tuam, & salui erimus. Eius pedes, idest Apostoli, eloquijs Dei & Spiritus sancti, ad prædicandum igniti mittuntur. Nónne cor nostrum ardens erat in uia, quum loqueretur, & aperiret nobis scripturas. Columnæ autem propter firmamentũ dicuntur Ecclesiæ: de his per Prophetam dicit, Ego confirmaui columnas eius. &, Quàm pulchri super mõtes, pedes annunciantes & prædicantes pacem. & Apostolus, Qui uidebantur

tur

tur, inquit, columnæ Ecclesiæ.

ET habebat in manu sua librū apertum, & posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrū autem super terram.) Si superius in libro signata Veteris testamenti profunda cognoscuntur latuisse secreta, aptius hic in libro aperto Noui testamēti reuelata claruisse creditur gratia: ita ut confidenter Apostolus dixerit, Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculātes, in eādem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu: ideo utique, Et uultus eius, ut sol dicitur refulsisse. Pedem porrò dexterum super mare, postea quoquè membra ad sufferendos persequutionis impetus, tanquam marina discrimina prudenter misisse probatur: sinistrum autem super terrā, illos qui sunt periculis mino-

ribus committendi. Non enim patitur nos Deus tẽtare super id quod possumus ferre, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, ut possimus sustinere. Certum est tamen, quod terra mariq; eius propagatio propagatur.

ET exclamauit uoce magna, tanquam leo rugiens.) Idest, per seruos suos, quum fortitudinem fiducialiter prædicator obtinuit. Inde Propheta, Et posuit, inquit, claritatem firmam fortitudinis suæ.

ET quum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua.) Propter cognitam septenarij numeri operationem, septẽ tonitrua significare puto omnifariam prędicationis Ecclesiasticæ modificationẽ, quam Paulus Apostolus seruãs alijs dicebat: tanquã paruulis in Christo, Lac uobis potum dedi, nõ escam. De alijs autem

autem, Perfectorum est solidus cibus. Sed & de alijs, Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita. Ecclesia igitur solutis rectæ prædicationis officijs, dicitur proclamari. Et quæ loquuta sunt septem tonitrua scripturus eram, & audiui uocem de cœlo, dicentem,

NOTA tibi, quæ loquuta sunt septē tonitrua, & ne scripseris ea.) Iubetur ne, sicut audiuit in aperto describeret, sed discretè signata modificans temperaret, ne aut omnibus indiscrete paterēt, aut facilè intellecta fastidium generarent. Propterea ergo dixit, Nota tibi, & ne scripseris ea, uel sicut alia translatio habet, Signa (inquit) tibi, & ne scripseris ea, ut signo allegoriam indicaret, non pastum intelligentiæ denegaret, merito & Daniel dicit, Signa

gna librum, & claude sermonem, usque ad tempus statutum. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia: idest ut differenda tempore, aut pro capientium distribuenda qualitate. Hinc Dominus, Multa, inquit, habeo uobis dicere, sed non potestis ea portare modò.

ET angelus, quem uidi stãtem super mare, & super terram, sustulit manum suam dexteram in cœlum, & iurauit per uiuentem in secula seculorum, qui cœlum constituit, & quæ in eo, & terram, & quæ in ea, quoniam tempus iam non erit: sed in diebus uocis angeli septimi, quum cœperit tuba canere, finietur sacramentum Dei, quemadmodum euangelizauit per Prophetas seruos suos.) Septima tuba finis est persequutionis, & aduentus Domini. Propterea Apostolus dicit,

In

In nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgũt incorrupti. Tempus ergo Ecclesiæ prędicit defuturum, quum ea susceperit promissa, bonorum æternitas supernorum ut non iam temporum uarietati subiaceat, sed stabili felicitatis æternitate perfruatur. Finitur sacramentum dixit, quod perficitur promissum, non quod consummatur ablatum.

ET audiui uocem de cœlo iterum loquentem mecum, Vade & accipe librum apertũ de manu angeli stantis super mare & super terram.) Vox de cœlo imperiũ Dei, qua Ecclesiæ cor inspirat, & iubet percipere ea, quæ Ecclesia futura pace, aperto libro prædicabit. Videtur etiam nobis, quia hoc est Librum apertum de manu accipere, Legis & Prophetarũ in Christum manifesta-

manifestatā intelligere ueritatem: ideo non iam sicut superiùs signatum, sed apertum dicit librum accipere. Finis enim legis, Christus, ad iusticiam omni credenti, quia Christus, idest ueritas, tunc de terra, idest de mari nasci uoluit, quando iusticia de cœlo prospexit. Propterea hic dici puto, Vocem audiui de cœlo loquentem mecum: sicut ipse dicit, Ego sum principium, qui & loquor uobis.

ET abij ad angelum, dicens, ut daret mihi librum.) Ecclesia, diuina inspiratione compūgitur super hoc mysterium perdoceri.

ET dixit mihi, Sume, & comede eum.) Idest in secretis reconde uisceribus.

ET amaricari faciet uentrem tuū, sed in ore tuo dulcis erit quasi mel.) Idest quum perceperis, oble

ctaberis eloquij diuinæ dulcedine, & spe salutis promissæ, & Diuinæ suauitate iusticiæ, sed amaritudinē profectò senties, quum & deuotis & indeuotis cœperis prædicare. Audita enim prædicatione Diuini iudicij, certè pœnitentiæ amaritudine in melius conuersi mutantur. Alij uerò offensi insuper indurantur, & odia circa Prædicatores acriter gerunt. Corripies (inquit) sapientem, & amabit te: coargues insipientem, & adijciet odire te. Ex utrisque enim Prædicator amaritudinem sumet, siue compassionis affectum cum pœnitentibus communicat lachrymans, siue de illorū defectu amaritudinis capiens cruciatum. Hinc Apostolus ait, Quia tristitia est mihi magna, & continuus dolor corde meo: optabā enim ipse ego anathema esse à Christo

pro

pro fratribus meis. Hanc nũc amaritudinem memorat, quod ſi ex deuotis dulcedo, ex indeuotis ſolis amaritudo tribuenda intelligatur, aptius exiſtimo conuenire. ſpiritales enim dicere poſſunt, Quàm dulcia faucibus meis uerba tua ſuper mel & fœnum ori meo.

ET quum accepiſſem libellum de manu Angeli, & comediſſem eum, & ait mihi, Oportet te iterum prophetare in populos & in nationes & linguas & reges multos.) Sicut ſolet ſcriptura Diuina de genere ad ſpeciem ſermonem ſæpe deflectere, ſic etiam conſequenter utraq; complectitur. Sic & nunc ad Ioannem quidem intentio certa dirigitur, quem adhuc oportebat de exilio liberatum, non tantum hanc reuelationem in notitiam Eccleſiæ Chriſti deferre, ſed etiam Euange-

lium in populos, in nationes, in linguas & reges multos altius prædicare. Verumtamen omni quoque Ecclesiæ hanc uocem nullus ambigit conuenire, quæ nunquam debet à prædicatione desistere. Hanc autem Euangelizandi fiduciam in arũdine accepta ad similitudinem uirgæ, non sine rationabili significatione monstrauit, ab eo quod effecit, 'id quod efficitur. Euangelium quippe arundinis officio scribitur, uerum ne aliqua inanitas in arundine putaretur, rectæ uirgæ similis dicitur, in qua propter naturale robur, soliditas designatur, quæ ad fidei referenda est firmitatem, siue perfectæ credulitatis intrãsgressibilem regulam, in qua & mẽsura necessariò memoratur, propter uariam distributionem gratiarum, quam Apostolus memorat, dicens

cens, Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti. In hac fide nitorem quoq;, ſapiẽtiam in auro cognoſce, cum manifeſtatiõe carnis acceptæ, quam unam Chriſtus perſonã geſtare dignatus eſt: ſicut etiã Ioãnes cognoſcere meruit, & prædicare curauit. Opportunè autẽ hic membris ad menſuram donatio gratiarum dari deſcribitur, ut capiti Chriſto non ad mẽſuram data ſpecialiter declaratur. De quo idem Ioannes ait, Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum, in quo enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, in quo omnis plenitudo Diuinitatis inhabitat, nulla eum menſura determinat.

Caput

CAPVT XI

ET dedit mihi arundinem auream, similem uirgæ dicēs, Surge, & metire templum Dei, & aram Dei, & adorantes in eo.) Surge, affectus excitationis indicatur, Ioanni, uel Ecclesiæ coaptandus, ut impedimentis secularibus enodati, æternorum bonorum simus officijs aptiores. Metire templum & aram, & adorātes in eo, Ecclesiam iubet, quæ est templum Dei, præmissa diuinorum mensura bonorum, spiritaliter informare, præcipuè in ara, idest in fide, sine qua impossibile est placere Deo. Adorantes autem in eo, expressius inculcauit, qui in Spiritu & Veritate student Deum adorare, & ut in ueritate credulitas, & in spiritu uita probabilis clareat. Nā & Pater, inquit, tales quærit

rit, qui eum adorent, ueros adoratores. Aliter in ara, ſacerdotes in templo fideles ſignificat. Multi enim ſuperficietenus adorare uidentur, & in libro cœli non ſcribentur, hoc ſignificans ſequitur,

ARAM autem, quæ eſt à foris tẽpli, ne metieris: omnis enim gloria eius filij Regis intrinſecus, quoniam data eſt Gentibus, & ciuitatem calcabũt menſibus quadragintaduobus.) Credulitatis malæ doctrina, & conſuetudinis infauſtæ contagia, in hæreticis, Iudæis & Gentibus foras iubentur expelli, quoniam ad ſancta ſanctorum tales indignum eſt præparare. Quid enim mihi, ait Apoſtolus, de his qui foris ſunt iudicare, & de his autem qui intus ſunt, uos iudicatis. Omnes enim Iudæi, hæretici atque Gentiles Eccleſiam diuerſis modis

indesinēter impugnādo quas conculcant. Numerus autem mēsium, non nouissimam tātum persequutionem significat, sed etiam Christianitatis tēpus omne signat, propter sex mundi ætates, & septē dies quibus prætermeantibus, & remeantibus omne tempus euoluitur: nam & sexies septem, quadraginta & duo efficientia, ad utrunq; arbitror referendum.

ET dabo duobus martyribus meis, ut prophetēt diebus mille ducētis sexaginta, saccis amicti, quod dixerat, Oportet te iterum prophetare.) Hoc est, dabo duobus testibus meis, & prophetabūt, quod est enim Ioannis: hoc duo testes, idest Ecclesia, duobus testamentis prædicans, & prophetans. Aliter, duo genera esse martyrij ueritas protestatur, unum in habitu, alterum in

actu: in habitu, ſoli Deo cognito corde geſtatur, etiam quando patiendo tempus minimè ſuffragatur: in actu uerò etiam publicè coram hominibus adimpletur, quãdo opportunitas perſequutionis innaſcitur: aliquando enim uidetur martyrium deeſſe animo, aliquando in alijs animum deeſſe martyrio. hinc beatus Cyprianus dicit, Primus eſt uictoriæ titulus, Gentilium manibus apprehenſum Dominum confiteri: ſecundus ad gloriam gradus eſt, cauta ſeceſſione ſubtractũ Dominum reſeruari: illa publica, hæc priuata confeſſio eſt: ille iudicem ſæculi uincit, hic contẽtus Deo ſuo iudice conſcientiam puram, cordis integritate cõſeruat: quod etiam de duobus filijs Zebedæi manifeſtiſſimè cõprobatur, quod Iacobus ab Herode necatus publica confeſſio

ne martyrio dedicatur, frater uerò eius Ioannes Euãgelista secretò apud Iesum martyrio coronatᷓ. Claret quidem Dominum pridem utrisque dixisse, Calicem meum quidem bibetis, unus uidelicet in actu, alter in habitu, saccis amictus, in exomologesin constitutus, utroq; autem generi conuenit confessionis humilitas ostendi: proinde ostendit, quod non de futuris, sed de præsentibus loquitur dicens,

HI sunt duæ oliuæ, & duo candelabra consistentia sub conspectu Domini terræ.) Quod pòst de Ecclesia accipe, quæ duorũ testamentorum lumine radiata firmatur, & de memoratis duobus martyrij generibus, quæ in diuersis membris eius diuinitus tribuuntur armati nam & duo cãdelabra, Ecclesia est, sed pro numero Testamentorum

duo

duo posuit, uel quod circumcisione per præputium cõquisita, lapidi cohærens angulari consistat, ita ex septem cãdelabris, si unum, uel amplius pro locis nominet, tota Ecclesia est.

ET si quis eas uolet nocere, ignis exiet de ore eorum comburẽs inimicos illorum, & si quis eos uult nocere, sic oportet illum & occidi.) Hoc est, si quis Ecclesiam lędere cupit, eiusdem læsionis recipiet precium, iudicio ignis cõsumetur condemnatus, hoc recipiẽs iustè, quod ingerere affectat iniustè. Siue in bono precibus oris Ecclesiæ, igni spiritaliter consumitur, in melius commutandus, quum errore pereunte homo saluatur, ab errore cõuersus.

HI habent potestatem claudere cœlum, ne imbrem pluat in diebus prophetiæ eorum.) Habent,

ait

ait, non Habebunt, tanquam modò non habeant: data quippe omni poteſtate in cœlo & in terra filio hominis, etiã de eius corpore, quod eſt Eccleſia, intelligi poteſt, quod cœlum claudat, quãdo ab ea in terram ſterilem benedictio nõ deſcendit, ſicut Dominus de parte uineæ ſuæ dicit, Et nubibus mãdabo, ne pluant ſuper eam imbrem, poteſtatem habeãt omnium aquarum conuertendi eas in ſanguinem, & ferẽ terram in omni plaga quotieſcunque uoluerint, nõ ſolum aquas ſuſpendant, ſed etiam quæ deſcenderant, inutiles faciant: hoc eſt, uertere aquas in ſanguinẽ, propter eos, qui ea, quæ Eccleſia ſpiritaliter examinanda tradet, carnaliter ſapiunt, meritoq; ab Eccleſia iuſto anathemate percuſſi moriuntur: & unde aliȷs ſpiritalis uitæ profectus accedit

dit, inde ipsi defectum mortis incur
runt. Sapere enim, ait Apostolus, secũdum carnem, mors est. Bonus ergo odor Christi de Ecclesia flagrãs, aliis odor mortis cedit in mortem, aliis odor uitæ in uitam: hinc etiam dicitur, terrenos plaga percutere, quum pro diuersitatibus meritorum atq; peccãtium, ligandi atq; soluẽdi potestate percepta, recta singulos sanctione diiudicat.

ET quum finierint martyrium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet cum eis bellum, & uincet eos, & occidet eos.) Hic liquidò claret ante nouissimam persequutionẽ hæc fieri, quum dicit, Quum finierint martyrium suum, utique illo quod perhibent, usque ad reuelationem bestiæ, quæ ascensura est ex abysso, idest ex latebris nequitię cordis Iudæorum, De tribu enim

Dan, antichristus traditur nascitu-rus. Vincet eos, dixit, in his qui oc-cubuerint. Occidit autem, illos si-gnificans, qui pro Christi nomine laudabili patientia fuerint inter-empti.

ET corpora eorum ponit in medio ciuitatis illius magnæ, quæ uocatur spiritaliter Sodoma, ubi et Dominus eorum crucifixus est.) Alia trãslatio, Corpus posuit; duo-rum dixit corpus unum. Aliquan-do in subsequẽtibus corpora, ut & numerum testamẽtorum seruaret, duoq́ martyria Ecclesiæ, unũ cor-pus ostenderet, hoc corpus non so-lum de occisis, sed etiam de uiuis di xit. Proijcitur, idest spernitur: sicut Proiecisti sermones meos retrò. In medio, hoc est in promptu, illa sci-licet Hierusalem, quæ occidit Pro-phetas, iuxta uerba Domini incre-

pantes

pantes, et ad se missos lapidauit, merito que reprobari, nō instaurari promeruit.

ET uidebunt ex populis & tribubus & linguis & Gentibus, & corpora eorum non sinet poni in sepulchris.) Quum corpora prohibet locis debitis recolligi, dies memorię ipsorum non sinunt sacra uiuentium celebritate signare. Aliter uota talium exprimuntur, quibus impij Ecclesiam Christi de mundo nituntur auferre: sicut Psalmus dicit, Non sit in memoria nomen Israel amplius: quod licet implere nō ualeant, noxiam tamen exercēt uoluntatem.

ET inhabitantes terram gaudebunt super eos, & iucundabuntur, & munera inuicem mittent, quoniam hi duo cruciauerunt eos, qui inhabitant terram.) Mirū non

est

est, si terrena sapientes iustorũ mortibus gaudeãt, nam præter plagas, quibus propter testamenta Dei, humanum genus arguitur, etiam uisus ipse iustorum grauat iniustos: sicut scriptum est, Grauis nobis etiam est ad uidendum, non solum grauat, sed etiã tabescere facit: hinc Psalmus ait, Peccator uidebit, & irascitur, dẽtibus fremit & tabescit.

ET post tres dies, & dimidium spiritus uitę à Deo introiuit in illos, & steterũt super pedes suos, & quicunq; eos uiderunt, pertimuerũt.) Tres dies & dimidium, possumus intelligere tres annos & sex menses, quos in ultima hebdomada Danielis quoq; prophetia prænunciat adfuturos, more Scripturæ loquentis, utentis quo dictum legimus de quadraginta diebus, quibus exploratores terram Chanaan circumie-

rant, annus pro die reputabitur, ut hic uersa uice dies pro annc positus agnoscatur, ut non ex incerto nostræ expositionis surgat intẽtio, oportet ipsius loci uerba, congrua expositione nos principaliter ponere, si quo modo ualeamus huius loci abdita penetrare. Quum enim de septuaginta hebdomadibus loqueretur, sic ait, Vt iterum ædificetur Hierusalem, usq; ad Christum ducem hebdomadæ septem, & hebdomadæ sexagintaduæ erunt. Et post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus, et etiam non erit eius & ciuitatis, & sanctuariũ dissipauit populus cum duce uenturo. Et post paululum, Consummauit, inquit, pactũ multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desola-

tionis. Hæc quum ad Christi primum intelligēda referantur aduentum, in quo & peracta sortiuntur effectum, illud tamen quod post diuisionem hebdomadarũ, quam secretiore supernę inspirationis typo distribuit, primum memorans septem, postea sexaginta & duas, postremò unam, quam & ipsam in duas diuidit partes, non incongruè & ad finem primi aduentus Christi, hebdomada ipsa finalis aptatur, quādo & secũdus incohatur: quod ut clarius disseratur, ad utrunque puto cum congrua expositione necessariò referendũ. Nam quod post septem & sexagintaduas hebdomadas Christus ueniēs occidetur, seq; occidentes reprobās, sicut dictum est, Eadem gens, iam non erit eius: & quod confirmauerit multis, hebdomada una, quũ omnia testamen

ti Ve

ti Veteris dicta uel gesta, quæ Christi aduentui typicè seruiebant, ipsius præsentiæ ueritate cōpleta sunt, qui finis est Legis, rectè quidem accipitis. Præcipuè tamen etiam ad finalem mundi decursum huius hebdomadis intelligentiam permanere conueniēter existimo, quum ibidem mox audio, Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Nam & in subsequentibus dicit, quia in tempus temporum & dimidium temporis, & quum completa fuerit dispersio manus populi sancti, cōplebūtur uniuersa hæc. Et paululum, Quum ablatum, inquit, fuerit lege sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolatione dies mille ducenti nonaginta, qui numerus circa trium annorum & sex mensium curricula diuersatur, quando maximè illa duo mar-

tyrij genera, quæ in habitu actuq́ꝫ constare præmisimus, sic dimidio hebdomadis prædicationis Heliæ firmatur, ut nullo possint uenturo mox persequutionis impetu deijci, quia tunc acrior persequutio, ita in militibus Christi inuictè certantibus enitebat amplior fortitudo. De ipsis etiam & hic Ioannes dicit, Et dabo duobus martyribus meis, ut prophetent in diebus mille ducentis sexaginta, saccis amicti: licet enim residuis tribus annis & sex mẽsibus, aut antichristi uiolentiæ, aut secessione locorum, tanquam mortui cedant, aut congruis latibulis recepti non pateant, eo quod diuinitus moniti delitescant: sic tamen stabiliri, eiusq́ꝫ pugnæ certamini instaurato reddendi narrantur, ut per Spiritum uitæ super pedes suos stabiles perseuerent, quando nouissima

ſima uel prædicatiõe, uel perſequu
tione confirmauit pactum multis
hebdomada una, ſed etiã alĳs mar-
tyrio conſummato perẽptis, alĳsq́;
fugatis, pro unius compage corpo
ris ipſi reſurgere prædicentur, eo
quod uno ſpiritu armati, una fide
fundati ſpiritaliter dimicant, quia
ſicut patitur unum membrũ, com-
patiũtur omnia membra. Propter-
ea & Dominus de Ioanne dicit, In
ſpiritu & uirtute Heliæ: uel illud,
Helias iam uenit, & fecerũt ei quæ
cunq; uoluerunt, Ioannem uolens
hoc dicto cognoſci, de quo naſcitu
ro præmiſerat, quod in ſpiritu &
uirtute Heliæ fuerit præcurſurus,
ut per eiuſdem ſpiritus gratiam, &
unius officĳ formam, alteram pro
altera cognoſcatur aptius inſinua-
re perſonam, Heliæ ſcilicet pro Io-
annis: quia ſicut ille in primo, ita
 iſte

iste in secundo præcedet aduentu. Hinc & Dominus, Helias, inquit, ueniet, & ipse restituet omnia: quãdo enim implet promissa, tunc restituet adumbrata. Tunc etiam confirmabit multis pactum hebdomada una, quæ omnia in ipsius Heliæ persona, Prophetiæ cognoscuntur fuisse præmissa, quãdo eodem temporis interuallo, idest tribus annis & sex mensibus, ne plueret, latuit, diuinoq; iterũ nutu pluuias impetraturus apparuit: & per sacrificiũ, quod oblatum fuerat, auersos Israelitici plebis animos Deo reconcilians acquisiuit. Nec frustra ipsius quoq; pluuiæ factam æstimo mentionem, nisi ut de præcedentibus expectemus futuris reddendam operibus ueritatem, aliĳs uidelicet residuis, & tribus annis, & mensibus sex persequutionem antichristi, oc-

ciſo Helia, graſſantem tanquam in medio hebdomadis hoſtiam dicit, ſacrificiumq́ deficere, quod in Ecclesia ſolenniter immolatur, antichriſti ſcilicet tunc ſæuitia præualente. Ipſo denique prædicante, in Chriſtum Iudęi ſunt credituri: quo increpante, ab idololatria quondã meruere conuerti. Iam nunc quæri poteſt, utrum ad tempus trium annorum, ſexq́ menſium prædicata horum reſurrectio debeat coaptari, an ad reſiduos tres annos perſequutionis antichriſti, propter quod prẹmiſit, & corpora eorum non ſinet poni in ſepulchris, & inhabitantes terram gaudebũt ſuper eos: & cætera, quæ aut præoccupata narrantur, quum futura tanquam præterita conſcripta ſunt. Aut ideo ſors an ambiguè contexuntur, quia in dimidia hebdomada præ-

dicationes tales futuris non deerunt.

ET in illa factus est magnus terræmotus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occisi sunt à terræmotu numero septuaginta milia hominum.) In terræmotu persequutionem aut recapitulando significat acrius illis uisis, quàm mortui putabantur, exaggeratam fuisse denunciat: hora enim omne tempus, & denarius numerus perfectus, & septenarius, quod si non esset, à parte totum intelligendum erat. Dicit enim ciuitatem in parte scilicet malorũ inter se collapsam, & ut etiam illi intelligãtur: de quibus legimus, Ex nobis exierũt, sed non fuerunt ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permãsissent utiq; nobiscum. Duo quippe sunt ædificia, unum super petram, alterum super arenam, hoc

dicit

dicit cecidiſſe, & cæteri in timore ſunt miſſi, & dederunt claritatem Deo cœli & terræ. Iſti ſunt ſuper petram ędificati, quia alíjs terræmotu, ideſt perſequutione cadentibus de ſtatu ſuo, recta Deum confeſſione clarificat. Finita recapitulatione, quam prætermiſſo ſeptimo angelo inierat, repetit ordinē, dicens,

VAE ſecundum abíjt, ecce uæ tertium uenit citò.) Dixerat confecta prælia locuſtarum uæ unum habuiſſe, & altera dicit duo uenire, quod ſcriptum in equis non dixit, Væ ſecundum abíjt, ne ſtatim tertium deſcribere putaretur, quoniã recapitulandum erat: nunc finita ipſa recapitulatione, Væ, inquit, ſecundum abíjt, non recapitulationis, ſed equorum, quibus deſcriptis Væ nō reddiderat. Væ ergo ſecundum abíjt; ſecundum eſt quod ſe-

quitur tertium uæ, & septimus angelus, in quo finis. Hinc uidetur duos fines fecisse, insequentis unũ recapitulationis, alterum ordinis. Dixit enim finem in resurrectione tertium, & inducit alterum, quem pugnæ equorum debebat, dicens, Væ secũdum abijt, & ecce tertium ueniet cito.

ET septimus angelus tuba cecinit, & factæ sunt in cœlo uoces magnæ, dicẽtes, Factũ est regnum Dei nostri, & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum: & uiginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in suis sedibus, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes, Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es & fuisti, quod potestatem tuam magnam accepisti, & regnasti, & Gentes iratæ sunt, & aduenit ira

tua

tua, & tempus mortuorum reddere mercedem seruis tuis, & Prophetis, & timẽtibus, pusillis & magnis, quiq; exterminãdi, qui terram corruperunt.] De senioribus supraq; præmissum, quid intelligi debeat, initiũ autem memorauit, & finem dispensationis Christi. Nam dicendo Regnasti, & Gentes iratæ sunt, primum Christi demõstrat aduentum: quod uerò sequitur, Venit ira tua, & tempus mortuorũ: uel sicut alia translatio habet, Quo de mortuis iudicetur, secundus aduentus ostenditur, quando & mercedem Sancti & Prophetæ timentes, qui nomen eius recipient pusilli & magni, perfecti & paruuli: quia Imperfectum meum, inquit, uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Et ne sibi impunitatem mali promitterent, subiecit, Quiq; extermi

terminandi ſunt, qui terram corruperunt, ſicut Pſalmus dicit, Vultus autem Domini ſuper facientes mala. Et ecce, inquit, uæ tertium uenit in uoce ſeptimi angeli, & quum cecinisset, non niſi Eccleſiam dixit, laudantem Dominum, & gratias agentem: unde intelligimus, bonorum remunerationem non eſſe, niſi uæ malorũ. Inde Pſalmus, Quũ exarſerit in breui ira eius: utique ſuper malos, Beati omnes, qui confidunt in eum: ſic & nunc ipſi Eccleſia dicit, Venit ira tua, & tempus mortuorum, dare ſeruis tuis mercedem, & cætera: hoc eſt uæ nouiſſimum. Recapitulata ſanè Domini natiuitate corporea, eadẽ aliter ac latius dicturus inſinuat.

ET apertum eſt templum Dei in cœlo.) Nato Domino Chriſto, manifeſtatum templum Dei in cœ

ſo, ideſt in Eccleſia. Templum Dei, Chriſti corpus intelligi poteſt: unde idem Dominus, Soluite, inquit, templum hoc, & in tribus diebus reſuſcitabo illud. Aliter hic ſub multiplici ſignificationum uarietate, certa poteſt intelligentia ueſtigari, ut unaquæque res, ſua proprietate aptius reddita, lucidius poſſit agnoſci. Quum enim arca plerunque ſignificat Eccleſiam, hinc in templum arcam paruiſſe deſcribit: & addendo arcam Teſtamēti aliquid altius intelligendum admonuit: dicendo etiam In cœlo, ſecretum nos aliquid penetrare ſuadet, ut iſte ſit intellectus, templum Eccleſiæ, arca Teſtamenti, myſterium incarnationis Chriſti, qui & mortem illius arcæ, & tabulas intra ſe Teſtamenti gerebat, qui Legem non ſoluere uenerat, ſed adimplere, quotquot enim

nim promissiones Dei sunt, ait Apostolus in illo. Et urnam auream habentem mannam, quia spiritale pabulum intra corpus, sapiẽtiæ fulgore decorem gerit, intellectu aliter prærogandum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Et uirga Aaron, eo quod in intemerata Virgine singulariter nouo ortu progenitus, intra tectorium carnis, instar amygdalæ, omnes thesauros sapientiæ et scientiæ penes se habere narratur absconditos. Hinc Psalmus, Exurge, inquit, Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ, & cætera, quæ idem concinunt sensui. Sic enim promittit Deus per Hieremiam aboleri arcam Testamẽti de cordibus hominum: illam utiqꝫ Hebræorum & Hierusalem, idest Ecclesiam, uocari thronũ Do

mini

mini, dicẽs, Quum multiplicati fue ritis, & creueritis super terram, dicit Dominus, Non dicent iam arca Testamenti Domini, neq; ascendit super cor. In illis diebus, & in tempore illo, uocabũt Hierusalem thronum Domini, & cõgregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini.

ET facta sunt fulgura, & uoces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.) Fulgura, uirtutes quibus suos Christus Dominus fecit fulgere discipulos. Voces, & tonitrua, prædicationes, quibus tanquam nubes Apostoli populis intonabant. Terræmotus, strepitus concitus populorum, quibus persequutiones crescẽti Ecclesiæ sæpius ingerebant. Grando semper plus se frangendo, fructibus illæsis nocet, seq; uastando comminuit: sic

etiam

etiam sæua gentiũ multitudo, quæ fidẽ Christi persequebatur, ipsam postea sectando, facta est numero uel parua, uel nulla. Hæc dixerat facta, & in descriptione prædicationis septem angelorum ab ipso aduẽtu Domini, & generaliter ab origine in finem, deinde per partes, quemadmodum facta sunt: ita & nunc in templo Dei in cœlo apertum sit, & pugnæ sequutæ, dicens,

CAPVT XII

ET signum magnum uisum est in cœlo.] Quod nunc quoq; uidetur in Ecclesia, idest sapiẽtiam Dei, humanæ naturæ sancto Spiritu operante coniungi, & ex utraq; unum eundemq; Christum mediatorem Dei & hominum fieri, prædicari, uel credi, ipso dicente, Solui

te

ſe templum hoc, et in tribus diebus reſuſcitabo illud. Et Euangeliſta, Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui.

SIGNVM magnum uiſum eſt in cœlo, Mulier amicta ſole, et luna ſub pedibus eius.) Frequenter dictũ eſt, genus in multas diuidi ſpecies, quæ unum ſunt: nam quod eſt cœlum, hoc templum in cœlo, hoc mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus, ideſt Eccleſia Chriſto induta, propter eius dilectionem, mutabilia cuncta calcante. Neque enim his mutabilibus rapitur, quæ ſtabiliter cohærens bono ueraciter dicit, Mihi autem adiungi Deo, bonum eſt. Hinc illę uoces ſunt, quas de Eccleſia legimus, Specioſa ſicut ſol, perfecta ſicut luna. Et iterũ, Sicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis, Peregrinantem Ec-

clesiam sanè dicit, aliter post huma
nam Christi natiuitatem uidimus
multas hæreticorum, easdemq́; fal
sas proferri sententias, De hoc nan
q; templo aliud Valentinus, aliud
Bardesanes, aliud Apollinaris, ali-
ud Nestorius, aliud Eutychius, a-
liud Timotheus Elurus hæresiar-
ches, prout libuit, mentiti dixerũt:
ut tanquam ueritas de terra orta sit,
& pugnæ sequutæ sint, ut unde or-
thodoxi & fideles acquirunt præ-
mium, & hæretici male de Christi
incarnatione sentientes, incurrant
damnationis æternæ supplicium.
Hinc de ipso à Simeone dictum in
Euangelio memoramus, Ecce posi
tus est hic in ruinam & resurrectio
nem multorum, & in signum, cui
contradicetur.

ET in capite eius corona stel-
larum duodecim.) Idest Ecclesia,
duo

duodenario Apoſtolorũ numero primordia dicit fundatæ mox Eccleſiæ decorare. Hinc Pſalmus, Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.

ET erat prægnans mente, non uentre, clamabat in conualle plorationis gemebunda, & cruciabatur, ut pareret.) Eccleſia ſpiritaliter & quos parturit, parit, etiam genitos parturire non deſinit. Hinc Apoſtolus, Filioli (inquit) mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in uobis.

ET uiſum eſt aliud ſignum in cœlo, & ecce draco rufus, magnus, cruẽtus uidelicet, & ſæuitia uaſtus, habens capita ſeptem.) Capita ſeptem, Reges ſunt: cornua uerò, regna: de quibus ſuo loco erit plenius diſputandum.

ET cauda eius trahebat tertiam

partem ſtellarũ cœli, & deiecit eas in terram.) Cauda, prophetæ iniqui ſunt, per quos ſuam inimicus nequitiam implet. Hinc Eſaias dicit, Propheta docens mendacium, ipſe cauda eſt; qui eorum doctrinis inhærent, in terram præcipitari dicũtur. Tertiam porrò partem ſtellarum cœli, illud memorat corpus omne malorũ, ſiue in angelis, quos de cœlo ſecum pari ruina detraxit, ſiue in hominibus, quos ſeducet: ſtellas autem, quas de bonis diabolus reprobos facit.

ET draco ſtetit in conſpectu mulieris, quæ paritura erat, ut quũ peperiſſet, natum eius comederet.) Ideſt inſidiator diabolus, nouũ hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, & in quo renouamur ſpiritu mentis noſtræ, iuſticia & ſanctitate ueritatis, in Eccleſia molitur

occidere, quum in unoquoq; fidelium, eius exortum captiose dicitur operire, uel profectum extinguere. Hoc etiam in unum hæreticū contigisse meminimus, lætali somnolentia suum natum usq; ad mortem legitur præfocasse, in quo nouitas uitæ, in qua ambulare iubemur, necari prophetiæ figuratur. In conspectu autem mulieris stetisse dicitur, &, Quoniam illa tuum, inquit, obseruabit caput, et tu insidiaberis calcaneo eius.

ET peperit masculum, qui recturus est omnes gētes in uirga ferrea.) Ideo masculum, quod uirili sexui nouerimus, tāquam superiori, iure debere uictoriam. Rectè hic igitur caput Ecclesiæ, Christus, in singulis membris dicitur nasci, qui cognoscitur principari. Ipse enim auctor et consummator est fidei, in

quo faciemus uirtutē. In uirga ferrea, ideſt inflexibili iuſticia, regit in bonis, cōfringit in malis: quod etiā eius Eccleſiæ, tanquam corpori, co aptatur ex capite. Omnes qui baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et erunt duo in carne una: quod in Chriſto intelligendum eſt, dicit Apoſtolus, & in Eccleſia.

RAPTVS eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius.) Licet in capite Chriſtus præceſſerit, qui parata diſpenſatione aſcendit ad Patrem, congruit tamen & corpori. Hinc ſunt illę uoces Apoſtoli, Qui nos reſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus. Et, Conuerſatio noſtra in cœlis. Et, Si reſurrexiſtis cū Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Quod ſi etiam de Chriſti perſona ſpecialiter uelis accipere, exce

pto

pto cruciatu, quem in partu beatæ Mariæ non est credẽdum habuisse, quam nouimus nullum in cõceptu peccatũ libidinis contraxisse, recte possis cętera coaptare. Si rufi draconis insidias persequutiõis, quas ab ipsis incunabulis ab Herode Christus pertulit, & deinde usq; ad mortem crucis subire uoluit, cognoscamus, quicũq; mortem eius insidiãs appetit, eius resurrectione frustratur. Ad thronum Dei, idest ad dexteram Patris, raptum ingemuit.

ET mulier fugit in solitudinẽ, ubi habet locum præparatũ à Deo, ut eam illic aleret diebus mille ducentis sexaginta.) Solitudinem ponit huius uitæ peregrinationem, in qua singulari spe beatæ remunerationis, ut passer singularis, Ecclesia quæ à rege suo accepit potestatem calcandi super serpentes & scorpio

 nes

nes, & super omnem uirtutem inimici, tanquam draconis rufi. Nam etiam populus Israel per eremum ductus, ignitos serpentes, Serpentes æneí uisu potuit superare. Omnia enim hæc, inquit Apostolus, in figuram nostri facti sunt: & sicut illos manna uisibili, sic nunc Ecclesiam pascet pane cœlesti. Præparatum autem locũ habet, de quo Propheta dixit, In loco quẽ disposuit, quod quia eũ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit: quia cor hominis illuc debet ascendere, humani sermonis penuria compellẽte. Locum dispositum & locum paratum potuit uterque proferre, quum antea præmitteret, dicens, Beatus uir, cuius est auxiliũ abs te Domine, ascensiones in corde eius disposuit. In conualle plorationis, in loco quem disposuit eis.

Idem

Idem nanque & refugij locus est peregrinis, & refectionis cibus esurientibus seruis, qui merces promittitur regnaturis. Hæc ergo quæ præparauit Deus, Apostolo dicente, diligentibus se, Nobis, inquit, reuelauit Deus per Spiritum suum: quo uno reuelãte, hæc profunda etiam beatus Ioannes potuit penetrare. Isto sanè dierum numero, qui tres annos & sex menses faciũt, omnia Christianitatis tempora, etiam hoc loco significat, ex quo Christi prædicatio cœpit, & usque [illegible] finem fructificans crescit.

ET accidit prælium in cœlo, Michael & angeli eius, ut pugnarent cum dracone, & cætera.) Non hic putandum est diabolum angelos ut eius in cœlo ausus fuisset pugnare, quum nec Iob hic possit, nisi Deo permittẽte tentare, sed cœlum

hic Ecclesiam manifestius declarauit, ubi contra spiritales nequitias ab unoquoque iugiter dimicatur. Hinc Apostolus, Non est, inquit, uobis obluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarũ harum. Ideo autem hic Michaelem, cum angelis suis contra diabolum confligere dicit, quia secundum Dei uoluntatem pro peregrinãti Ecclesia orando, & adiutoria ministrando rectę intelligitur pro ea confligere. Nónne omnes sunt, inquit Apostolus, administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis æternæ. Nam & nomen ipsius Michael, adiutorium Dei, interpretatum dicitur, & congruè hoc ei opus specialiter deputatur. Ipsum enim Daniel in no

uissima

uissima pressura, in adiutorium dixit Ecclesiæ esse uenturum, In tempore (inquit) illo consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui, & ueniet tempus, quale non fuit ab eo, quo Gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. Et in tẽpore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuẽtus fuerit scriptus in libro. Quod uerò angeli eius esse dicuntur, eo hic loquutionis genere usus est, quod legimus, Quoniam angeli eorum semper uidẽt faciem Patris mei, qui in cœlis est, eorum scilicet, quorum ciues esse in Christum credendo cœperunt: sic & hic Angeli eius, quia uno præsidente Rege moneri, & uno spiritu creduntur uiuificante beari.

ET draco pugnauit, & angeli eius, neq; ualuerunt, neq; locus eo-

rum amplius in cœlo inuentus est.] Diabolus & angeli eius intelligendi sunt, non solum, qui ei natura & uoluntate similes, sed & homines, qui eorũ laqueis irretiti, talium fuerint sectatores. Nam pro qualitatibus uoluntatum, & de diabolo dictum, Malus homo hoc fecit, & de Iuda, diabolus est, bipartito quippe corpore diabolus in suis traditur: uictus autem ab eis dicitur expelli, qui post renunciationem eius, fide Christi percepta, errores eius ultrà non repetũt, sed in eis charitas perseuerat de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta: siue quia ab omni malorum commixtione iam separata, & futura beatitudine glorificata, diabolo & angelis eius, nullus neq; seducendi malos, neq; probandi bonos, locus amplius tribuetur. Vnde Psalmus ipsum no-

tans

tans dicit, Transiui, & ecce nō erat, & quæsiui eum, & non est inuētus locus eius.

ET missus est ille draco serpens magnus antiquus, qui dicitur diabolus, & Satanas, qui seducebat totum orbem terrarum, missus est in terram, & angeli eius cum eo missi sunt.) Terra hic, terrena sapientes datur intelligi, in quibus illa sententia præualenti diabolus cognoscitur habitare, Terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ: ab spiritalibus enim exclusus, meritis aptus terrenos inuadet, hoc est de cœlo præcipitare, & in terram mitti.

ET audiui uocem magnam de cœlo dicentem, Facta est salus & uirtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.) Euidenter ostenditur, in quo nos cœlo intelligere ista conueniat. In Ecclesia nanq; fa

ctam nouimus uictoria Christi salutem, per quam cognitam accepit etiam potestatem ligandi soluta, & soluendi ligata, quum in uno Petro generali significatione, omnes audiuit, Quæ ligaueris super terrã, ligata erunt & in cœlis, & quæ solueris, soluta. De hac Dominus dicit, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, non quam semper ipse habuit: sed quam in Ecclesia, ex tẽpore quo ipse uoluit, tãquam caput in membris habere cœpit, quoniam præcipitatus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos in conspectu Dei nostri diebus ac noctibus, et superatus est ab ipsis propter sanguinẽ agni, & propter uerbũ testimonij eorum. Præmisso nuper loquutionis genere, ex persona angelorum dicit,

ACCVSATOR fratrum nostrorum

rum.) Ideſt ciuium in futuro noſtrorum, nunc autem peregrinorū. Ad illam quippe ciuitatē Hieruſalem, fideles nunc tēdunt, quam angeli feliciter incolunt: quod autem de cœlis excluſum, & in terram miſſum, gaudendo dicere perhibentur illorum redemptionem. Congratulantur, quod ſibi Dominus ad inhabitandum præparare dignatus eſt templum. Animę enim iuſtæ, ſedes ſapientiæ: de terrenis autē, in quos dicitur deſcendiſſe, diuinæ iuſticiæ penetralia. Angeli cognoſcendo collaudant ei, qui miſericordiam et iudicium ſemper beati decantant: quum & in redemptis bonitas, & in perditis æquitas diuina monſtratur: nam ut & illi uincerēt, per agni ſanguinem dicuntur diabolum ſuperare potuiſſe. Et quod ſequitur,

NEC amauerūt animam ſuam

usq; ad mortem.) Illã utiq; accepisse credendi sunt charitatẽ, quæ diffunditur in cordibus nostris, nõ ex nobis, sed per Spiritũ sanctum, qui datus est in nobis. huic tam magno bono cõgratulando docet, dicens,

PROPTER hoc exultate cœli, & qui habitatis in eis.) Hic sicut superius in angelis cœlum, Ecclesia cognoscatur, utrisque conuenit inde concorditer gratulari, quũ & homines angelis sociare creduntur, & Angeli, humanæ in Christo substantiæ famulantur. Sequitur,

VAE uobis terra & mare, quoniã descendit diabolus ad uos cum ira ingenti, sciens sibi modicũ tempus superesse.) Sicut redẽptis exultatio, sic pereuntibus planctum docuit exhiberi. Hinc Ezechiel dicit, se librũ uidisse habentem scriptum lamẽtum carmen, & uæ. In lamen-

tatione

tatione pœnitentium fletus: in carmine, iucunditatem sanctorum insinuat. Væ autem, malorum condemnationem propriè manifestat, quos etiam hic memorat, dicens,

VAE uobis terra, & mare, &c.) Sciens modicum sibi tempus superesse, hinc Domino inuicta potestate coactus cõfiteri dicit, Venisti ante tempus perdere nos.

ET quum uidisset draco, quod esset deiectus in terram, persequutus est mulierem, quæ illum masculum pepererat.) Hoc est quod præmisimus, inextricabiles inimicitias contra Ecclesiam diabolum gerere: quanto enim uincendus excluditur, tanto acrius suas non desinet multiplicare uersutias.

ET datæ sunt mulieri duæ alæ, quasi aquilæ magnæ, ne uolaret in solitudinem in locum suum.) Ec-

clesia in modum alarũ duobus utitur Testamentis, quibus edocta insidias inimici, & præceptis fugere studet instructa, & exemplis superat informata. Gemina quoque regitur Dei & proximi charitate. Locus autem solitudinis huius mundanæ peregrinationis, quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino, quod maximè cor degerit, qui nõ locis, sed affectu de mundo discedit. Et Propheta dicit, Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, expectabã eum, qui me saluũ faceret. Congruè autem hic aquilæ similitudinẽ memorat, qui quum præ cæteris auibus cognoscatur amplius euolare: uiso tamen eminus cibo, indigẽtia naturali sub acta, mox ad ima descẽdit. Sicut Ecclesia in spiritalibus membris, quũ ea quæ sursum sunt, mente petat &

sapiat

ſapiat, infirmitate tamen corporis aggrauata, neceſſitatibus ſubiacet indigentiæ corporalis, pro quibus ingemiſcit,& parturit uſq; adhuc. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non uolẽs,ſed propter eum, qui ſubiecit in ſpem, Item, Sicut enim mente exceſſimus Deo, ſiue tempe rantes ſumus uobis, ubi aliter tempus & tempora & dimidium temporis, ab antè facie illius ſerpentis. Trium annorum tempore, & ſex menſiũ, hoc rurſum ſignificat tempus, quo uſq; ad finem mundi Chriſti Eccleſia propagatur, idolorum culturam fugiens, omneſq; ſerpentis errores, hoc eſt quod dicit, à facie illius ſerpẽtis, quem draconem ſuperius memorat, quod eum in ſanguine agni uicit, ut ueraciter cantet, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis

leonem & draconem.

ET misit ille serpens ex ore suo post mulierem, aquam in modum fluminis, ut eam perderet.) Impetum persequutorum aqua significat. Hinc Psalmus, Quum insurgerent homines super nos, forsitan ui uos absorbuissent nos, quum irasceretur furor eorũ aduersum nos, forsitan ut aqua deglutissent nos, torrentem pertransiuit anima nostra, & cætera.

SED adiuuit terra mulierem, & aperuit os suum, & absorbuit flumen, quod draco ex ore suo miserat.) Licet possit hic terra quoq; Ecclesia intelligi, sicut in Psalmo, Fundauit terrã super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi, idest in sanctis, quorum preces atq; doctrinæ, & dispensatio salutaris, inimici uersutias detectas eua-

euacuant. Melius hic tamen intelligitur terra, humana in Christo natura, ipsa est ueritas, quę de terra orta est, qui uultui Dei semper apparens, sicut Apostolus dicit, pro nobis interpellat; hęc enim terra suscepta in se deglutiens, mortem, tanquam os dicitur aperire, quando abundantia uitæ suæ autorem mortis cognoscitur sorbuisse, & absorbendũ nihilominus docuisse, quando in monte sedens, aperiens os suum, ampliora præcepta discipulis tradidit, legem mandatorum decretis euacuans.

ET iratus mulieri, abijt facere bellũ cum reliquis de semine eius, qui obseruant præceptum Dei, & habent testimonium Iesu Christi.) Videns non posse continuare persequutionem, neq; ad effectum noxia uota perduci, quibus ecclesiam

Christi de mundo auferri posse pu tabat, uel affectabat, scilicet Dominici corporis trophæo in cœlestibus præualēte, & in terrestribus dominante, atque inferis imperante. Ad hoc enim, inquit Apostolus, Christus mortuus est, & resurrexit, ut mortuorum & uiuorum dominetur, itemq́ue ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium & terrestrium & infernorum. Hoc inquam uidens, bellum quidem reliquis de semine Ecclesiæ per singulas generationes indesinenter molitur ingerere, quum se iam nouit de mūdo tradere omnino non posse, Quia portæ (ait) inferorum, non præualebunt aduersus eam. Illo itaque Christus mirabiliter utens, multiplicatos sibi martyres, opportunè conqueritur: draconem uerò cum socijs, acrioribus plectendis suppli

ſupplicijs definiuit. Quocirca hunc Librum eiuſdem Eccleſiæ puto memorabili aptius concludi uictoria, cuius de mundo non poteſt perire memoria.

LIBRI TERTII
FINIS.

CAPITA
LIBRI IIII.

cum Chriſto centum quadraginta quatuor uirginũ, nomen eius cenſitum, uel patres. VI

Angelum in medio cœlo uolantem cum Euangelio æterno, diem iudicij aſſerens properare. VII

Secundus angelus Babyloniam prædicit ruituram, & tertius beſtiam adorans uino iræ Dei potari, igne & ſulphure cruciari. VIII

Felices qui in Domino moriuntur, amodo dicit Spiritus, ut requieſcant. IX

Super nubem albam ſedentem filium hominis cum corona aurea & falce acuta. X

Alius ſuper ignem poſitus, quũ agnum in torculari mittentem per ſtadios mille ſexcenta nonaginta dicit ſanguinem manaſſe. XI

Signum magnum memorat ſeptem angelos, totidem plagas ha-

bentes: mare uitreum igne permixtum: ex bestia triumphātes, agniq; canticum personantes. XII

Templum, tabernaculum martyrij in cœlo dicitur apertum, & septem angelos indutos linteis, cum plagis totidem processisse. XIII

Septē angelos iuberi, ut iræ Dei phialas septem in terram effunderent, quibus plagas enumerat irrogatas. XIIII

De ore draconis bestiæ & pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum dicit prodisse ranarum. XV

Immaculata pręmonet uestimēta seruanda. XVI

Septimū angelum phialam memorat effudisse, & post cętera grandinē talenti ponderis irruisse. XVII

Dan nationem meretricis magnæ, in mulieris ornatæ figurato

cultu

FINIS.

PRIMASII EPISCOPI AFRICANI Commentariorũ Liber IIII In Ioannis Apoſtoli Apocalypſim.

CAPVT XIII

ET uidi beſtiam aſcendentem de mari habentem cornua decem & capita ſeptẽ, & ſuper cornua eius diademata.] Hoc hic mare ponit, quod antea abyſſum, de qua dixerat aſcendere iſtam beſtiam: in utraque autẽ ſignificatur populus, populum quippe uidit è populo aſcẽdere, & de populo beſtiam ſurgere. Beſtia autem generale nomen eſt, agno contrarium, Sed in narratio-

ne pro locis intelligendũ eſt, quam partem beſtiæ dicat. Aliquando enim diabolum dicit beſtiã, aliquando corpus eius: aliquãdo unum ex capitibus eius beſtiæ, quod quaſi occiſum reſurrexit, quod eſt ſimulatio ueræ fidei: aliquando præpoſitos ſolos dicit beſtiam. Nunc ergo beſtiam aſcendentem de mari, corpus diaboli dicit. habẽtem cornua decem & capita ſeptẽ. & ſuper cornua eius diademata, & ſuper capita eius nomẽ blaſphemiæ. In eo quod ſe Deum uult haberi, iuſtè dicitur blaſphemię nomine titulari. De decem porrò cornibus & ſeptem capitibus, aptiore ſubſequente loco dicetur, quod utrunq; ſufficiat.

ET beſtiam, quam uidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius tanquam urſi, & os eius, ut os leonis.) Pardo, propter uarietatem gentiũ com

paratur: urso, propter maliciam & uæsaniam: leoni, propter uirtutem corporis, & linguæ superbiam.

ET dedit ei draco uirtutem suam, & thronum suum, & potestatem magnam.) Sic Apostolus de diaboli corpore loquens, Cuius est (inquit) aduentus, secundum operationem Satanæ, in omni uirtute & signis & prodigijs mendacij, his qui pereunt.

ET unum caput ex capitibus septẽ, quasi occisum fuerit ad mortẽ, & plaga mortis eius curata est.) Vnum ex capitibus eius dicit antichristum, quia septem non numero sunt, sed significatione uniuersitatis regni terreni, agno contrarij: huic draconem, idest diabolum, suam dare certum est potestatem, & thronum suum. Sicut in bono, anima iusti, sedes sapientiæ; sic in ma-

lo

ſo, illis inimicus dare ſuum dicitur thronum, quos maximè poſſidens, ad alios utitur ſeducendos, admiranda per eos, Deo ſinente, frequenter exercens: qui in tanta temeritate progreditur, ut ad deludendos animos paruulorum, unum ex capitibus ſeptem, ad imitationem ueri capitis, ſe quaſi occiſum reſurrexiſſe, & pro Chriſto, qui hoc uerè perfecit, ſe ſuſcipiẽdum audeat exhibere.

ET admiratæ ſunt gentes inhabitantes terram ad beſtiam.) Tranſlationem nominum fecit, ne diceret, mirata beſtia ſequuta eſt beſtiã. Terram enim poſuit pro terrenis, qui eum & ſequi & adorare maluerunt. Idem ſuis, qui in antichriſto, tanquam in ſimulacro, diabolum adorare dicuntur, hoc dicit.

ET adorauerunt draconem, eo quod

quod tradidiſſet omnẽ poteſtatem ſuam beſtiæ: iterum beſtiam adora uerunt, dicẽtes, Quis ſimilis illi beſtiæ, et quis poterit belligerare cum ea?) Quum à ſuis ſectatoribus eue nire laudatur. Sicut legimus, Et aperire os gentium ac uirtutes bono rum, & admirationem habere regem animalem à terra. Quum ergo inquam, à ſuis laudatur, & in magniloquio extollitur, totum beſtiæ corpus omnino deſcriptum eſt.

ET data eſt ei poteſtas faciendi mẽſibus quadraginta duobus.) His etiam menſibus tres anni cum ſex menſibus adimplentur: quibus ſuperius quidem præſentis quoq; temporis qualitas, nunc autẽ ſpecialiter nouiſſimæ perſequutionis prænunciatur aſperitas, propter quatuor notiſſimas orbis partes, ſi quater legalem decalogũ duxeris,

in quo

in quo perfectionis est signum, quadragenarium comples. His quum duo charitatis præcepta actu adieceris adimplẽda, quadragintaduo perficiunt. Nihil enim iuuissent enunciata uerbis, si non perficerentur operibus. His enim Ecclesia dicitur, sicut alis aquilæ temporaliter præmuniri, in solitudinem fugiens draconis insidias, alẽda diebus mille ducentis sexaginta, quibus menses quadragintaduo supplentur, ut idem numerus non inani clareat significatione texatus.

APERVIT autem in blasphemia os suum aduersus Deum, ad blasphemãdum nomen eius, & tabernaculum eius, qui in cœlo habitat.) Idest aduersus Deum, & Ecclesiam, quæ in cœlo habitat: propterea, Conuersatio nostra in cœlis est. & Nunc autem in carne non

eſtis. Aliter, templum hic etiam corporis Chriſti, glorificatum puto ſignificari trophæum, quem tunc antichriſtus dicit blaſphemare, quando dignitatē ei ſpecialiter debitam ſibi auſus fuerit aſſignare. Hinc in Euangelio Dominus dicit, Vt ſeducātur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Confeſtim tamē ſequitur, Sed propter electos abbreuiantur dies illi.

ET data eſt ei poteſtas faciendi bellum cum Sanctis, & uicit eos.) Dicendo Aperuit os ſuum, oſtenditur in hanc damnabiliter fiduciā prorupiſſe, ut quod antè occultè, tunc iam publicè audeat blaſphemare, quando dignitatem ei ſpecialiter debitam ſibi auſus fuerit aſſignare, & iniquitatem in excelſo loqui: ut contrarius Chriſto ſe uelit pro eo accipiendum, uel ui ingerere, uel fraudes opponere, poteſtatē

tem

temporaliter accipiet:quã ille male utens,nocere uolens corpori Christi,ſicut perſequutores Chriſto patienti, amplius extolletur, ut cum ſuis a crius crucietur. De hac Dominus dicit, Non haberes in me poteſtatem,niſi datum tibi fuiſſet deſuper. Si ergo circa ſuam paſſionem, hanc ad momentum ſuis perſequutoribus Chriſtus dederat,quum in eo princeps mundi huius nihil dignum morte reperit, quid mirum ſi in ſua Eccleſia ſic ad tempus malos graſſari permittat,ut eos uiciſſe dicat: licet à toto pars intelligi debeat,quæ uinci poteſt.

ET data eſt ei poteſtas in omnem tribum & populũ & linguam & gentem,& adorauerũt eum omnes inhabitantes terram,cuius nomen non eſt ſcriptum in libro agni occiſi,qui eſt ab origine mundi.)

Parum quippe uideretur, ſi de ea beſtia, quæ de agno cõtraria toties ponitur, diceret Non eſt agnus, aut Non eſt Chriſtus, quod ſe finget, ſed Nec in libro agni ſcribi uſpiam meruit, aut ipſe, aut qui ei conſentiunt. Licet poſſit etiam beſtiæ corpus intelligi, propter quod præmiſit, Adorauerunt eum omnes inhabitantes terram: ideſt terrenum diabolum, cui dictum eſt, Terram comedes: de quibus Hieremias dicit, Recedentes, in terram ſcribantur: uel Pſalmus, Et cum iuſtis non ſcribantur.

SI quis habet aures, audiat, Qui captiuũ duxerit, & ipſe capietur.) Quoties hic ea Spiritus ſanctus dicit, quę intentius audienda ſunt, ita præmittet, facta enim mentione illius poteſtatis, quã accepturus eſt diabolus & beſtia, ne magni pendendum

dendum eius ruinosi culminis momẽtaneum superciliũ putaremus, tanquam cogitationibus humanis occurrens, instruit, dicens, Qui captiuum duxerit, & ipse capietur: ac si diceret, diabolus & bestia, qui suis nunc retibus gentes captiuare uidentur, ipse erit cum suis citò captiuus. Et qui gladio occiderit, & ipsum gladio oportet occidi: sciens Heliam antichristi gladio fore necari, eiusq́ morte corpus aduentu protinus Domini uindicandũ. Propterea dicit, Et ipsum gladio oportet occidi: absolutè ponens diaboli & antichristi personã, tanquam habitantem cum habitaculo: idcirco indefinitè, Qui captiuum duxerit, inquit, & qui gladio occiderit, & ipsum gladio oportet occidi. Hinc Apostolus loquens dicit, Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Domi

 nus

nus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Tunc (inquit) quum absorpta fuerit mors in uictoria, quam uictoriam quomodo sanctos omnes oportet patiēter & longanimiter expectare, idcirco subiecit,

HAEC est patientia & fides Sanctorum.) Vnde item Apostolus, Fratres, inquit, nō deficiamus, tempore suo metimus non deficientes.

ET uidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia agni, & loquebatur ut draco, & potestatem prioris bestiæ faciebat in terram.) Duo cornua agni similia, duo Testamenta uero agno competentia, sibi more agni usurpare tentauit, ut draco, tamen loqui dicitur, quia in hypocrisin simulatæ ueritatis, quos seduxerit,

dece

decepit. Agni enim ſimilis non eſſet, ſi apertè ut draco loqueretur. Nunc agnum fingit, ut agnum inuadat, ideſt Chriſti corpus, ad Deũ loquitur, quod eum quærẽtes, à uia ueritatis deluſos expellat.

ET omnem poteſtatem prioris beſtiæ faciebat in terram.) Prioris dixit, quam de mari aſcẽdentem ſe uidiſſe præmiſit, cui diabolus dederat poteſtatem ſuam magnã. Hanc poteſtatem dixit facere beſtiam coram beſtia. In prępoſitis enim quos deſcripſit, eſt omnis poteſtas populi, tãquam locuſtarum & equorum in caudis. Aſtante enim populo faciũt præpoſiti, quod diaboli uoluntati proficiat, ſub uelamento hypocriſis & Eccleſiæ. Intantum autem utranque beſtiam claret unum corpus eſſe, & unius nequitiæ cultum exercere, ut etiam ſequẽtes beſtiæ,

hypocrisis illi priori bestiæ militare dicatur, ideo subiecit,

VT inhabitantes terram adorarent bestiã illam priorem, cuius curata erat plaga mortis, & fecit signa magna, ita ut ignem faceret de cœlo descẽdere sub oculis hominum, &c.) Vel sicut alia translatio, Vt terram & qui habitant eam. Translationem iterum nominũ fecit, bestiam illam cum capitibus, uocauit terram, & caput eius bestiam. Dixerat enim, capitis curatam esse plagam: nunc bestiam, inquit, cuius curata est plaga, ostendit: quia omnes partes bestiæ, bestiã uocat, quia in omnibus eius officijs diabolus est, qui est bestia. Ergo quũ diabolus cornibus, quæ est pars bestiæ, facit bestiam adorare bestiam: quia bestiam dixit, & terram, ut in caput ueluti occisum bestię nomen

trans-

transferret, ne diceret, Fecit bestia, ut adoraret bestia bestiam. Nam si aliud est bestia, aliud terra, quum bestia populus sit, terra quid erit? Terra autem, & eos qui inhabitant in ea, non sine ratione dixit. Nam sufficeret terra, aut eos qui habitãt terram, sed uim seductionis ostendit, & animam & corpus sibi miserabiliter mancipasse. Qui enim ui cadit, non seductus solo corpore captiuus est. Qui autem seducitur, & corpore captiuatur & mente: propterea dixit, Facit terrã, & eos qui inhabitãt eam, adorare bestiam: cuius curata est plaga mortis. Intentius prospiciamus, Dominus noster Christus habet plagam de gladio, & uixit. Hic autem dicit bestiam, quæ habet plagam, facta est de gladio, & uixit, dicit adoratum draconem, adoratam, & bestiam. Recede

bam, quum ſolus draco adoraretur à ſuis. Non enim ſicut Eccleſia habet mediatorem corporaliter inter Deum & ſe, ita & diabolus inter ſe & ſuos, ſed ſolo nomine Dei imitatione Chriſti. Beſtia iſta, quam dicit, intra diabolum & ſuos perſonã non habet. Quia in ſolo uocabulo eſt, quo dicunt adorare Chriſtum, qui mortuus eſt, & reſurrexit, in quo uocabulo diabolum adorant, qui hoc ſimulacrum ſuis inuenit. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe, uelut angelum lucis, exhibens ſuis fallaciter ſolo nomine Chriſtum. Porrò ipſe & ſuum & mediatoris locum implet, quia mediatorẽ non habet, niſi ſimulacrũ Chriſti. Ipſam ſimulationem dicit beſtiam, habere plagam gladij & uiuere. Beſtia eſt enim, quæ hoc nomine intra ſe ſuoſq; uerſatur. Propterea ſi quando dicit

dicit adorari beſtiã, quæ habet plagam de gladio & uixit, diabolum oſtendit: de quo Apoſtolus, Qui aduerſatur & extollitur, inquit, ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat oſtẽdens ſe, tanquam ſit Deus. Tres itaq;, diabolus, beſtia uelut occiſa, populus cũ præpoſitis ſuis: duo ſunt mediante imagine, & ſi quando mediam beſtiam dicit adorari, in diabolũ res cadit, qui ſuum & huius medij nominis implet locum, quum ſe ſuis opponit damnabiliter adorandũ, de imitatione furti, ſimulata obũbratione uocabuli.

ET fecit ſigna magna, ita ut ignem faceret deſcendentem de cœlo ſub oculis hominum.) Quum multa eum dicat ſigna facturum, hoc ſignum mirabile cæteris prætulit. Hæc translatio quaſi de præteri

to loquitur, quum futurum nũciet: alia autem futurum significans dicit, ita ut & ignẽ faciat de cœlo descendere. Quod ad terram ignem faciat de cœlo descendere, idest de Ecclesia ad terrenos, quum siue ex uarietate gentium, siue ex inimici fallẽtis astutia, linguis nouis ac plurimis suos faciat loqui ministros, ut hoc quasi indicio donũ sancti Spiritus se garriant percepisse, qui ignearum forma linguarũ super singulos quondam ueraciter legitur Christi enituisse discipulos. Hoc enim præcipue signum credẽtium Dominus quoq; commendat, dicens, Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequẽtur, In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis: & cætera. Non ergo mirum, si illa bestia, quæ sibi simulatè agni occisi, & uiuẽtis nomen usur-

pat

pat,hanc etiam sancti Spiritus per imitationem fraudulenter uindicet specie tenus largitatem,suisq; mini strís simul & dationem , sicut Sy- monem quędam affectasse,nec po tuisse meminimus. Nam & de ex- pulsione dæmonum signisq; com pluribus,quum ipsi ministri Sata- næ enumeranter dixerint, Nónne in nomine tuo dęmonia eiecimus, & cætera , non approbat Domi- nus gloriantes,sed damnandos re- probat contumaces: & ideo fortas- se hoc excellens deligit. Signũ quo Spiritus sanctus figurat uoluit spe cialiter nominare,quod potior illo inueniri non poterat. Nam quum multa nobiscum hæreses uideãtur habere communia,hoc specialiter donum sola se habere Christi glo- riatur Ecclesia. Magos deniq; Pha- raonis similia Moysi miracula fa-

cientes

cientes Spiritus ſanctus legitur fru ſtrauiſſe, quum in ſuis aſſumptioni bus ſuccumbentes, uera uicti confeſſione dixiſſent, Digitus Dei eſt hic. Digitum autem Dei, Spiritum ſanctum dici, Euãgelium proteſtatur, quum unus dixit, In ſpiritu Dei eijcio dæmonia, alius, In digito Dei eijcio dæmonia. Quocirca hinc uehementia ſeductionis oſtẽditur, ut illum habere beſtia ſpiritum putetur, quo reſiſtente Magorum fraudulentia uacuabatur. Ob hoc ſequitur,

ET ſeduxit eos, qui inhabitant terrã, propter ſigna quæ data ſunt illi, ut faceret coram beſtia: & dicit incolis terræ, ut imaginem beſtiæ faciant, quæ habet plagam de gladio factam, & uixit.) Quaſi diceret, hæc ſimulatio eouſque præualuit, ut terreni ſeducti propter ſi-

gna

gna bestiæ, ipsi bestiæ miserabili assensu fauentes, mutua se deuotione cohortentur. Bestiæ in cordis phantasmate imaginem fabricare: sicut qui iam non æstimēt dubitandum, certo quasi memorati ignis indicio confirmati, quòd uerè ipse sit Christus: quum sit in antichristo diabolus, idemq; malignus in imagine spiritus, quales etiam laqueos seductionis Deo sinente prætēdat, ut dare dicatur spiritum imaginis illius bestiæ. Et ut imago bestiæ loqueretur, gemino modo hic locus intelligi potest, siue quia indicio cō pellente uirtutum, iam persuasum est omni corpore malignorum, tanquam diabolo operante, et insistentibus præpositis populo, ut una esset omnibus eademq; professio: sic uniformi obseruatione ab omnibus præferēdam, ut si quis hoc per

ima

imaginē bestiæ, idest mutuam imitationē non loqueretur, necaretur. Sic deniq; dicit,

ET ut imago bestiæ loqueretur, & facerent, ut qui non adorarent bestiæ imaginem, occiderentur.) Aliter, ut sicut primo homini seducendo ore colubri sermocinatus est fœminæ, simili tunc multos fraude deludat, quum per simulacrum fecerit consolantes suos responsa percipere: idest per antichristum, cui ut Deo honorem æstimāt deferēdum, quum sit homo peccati, filius perditionis: tanquam hoc sit, Et dictum est illi dare spiritum imagini illius bestiæ, & ut imago bestiæ loqueretur, & faceret, ut qui non adorarēt imaginem bestiæ, occiderentur.

ET facit omnes magnos & pusillos & diuites & liberos & seruos habe

habere notam in dextra manu,aut in frontibus.) Singulos uoluit per membra diuidere,quos in confuso in uno sæpius complectitur corpore, & in bestiæ nomine in manu significat opera dextra,pro simulatione ueri,in fronte fidei professionem, & quia utrunque bono fraudatur,ideo ubiq; dicuntur notati.

NE quis possit quicquam mercari,aut uēdere,nisi habens notam nominis bestiæ, & numerum nominis eius.) In hac mercandi & uendendi mentione docuit,quod sicut in bono, symbolum Ecclesia tradit profuturum nostræ saluti:ita & illi in malo,tali se definitione quasi nouerint coarctari atque uindicari,ut nec mercandi aut uendendi sinantur habere licentiam:sicut mercatores,qui una uidentur naue portari, uniformi cognoscuntur signo tene

ri, nisi habens notam nominis bestiæ, & numerum nominis eius.

HIC est prudentia, qui habet intellectum, computet numerũ bestiæ: hominis est enim numerus, & numerus eius sexcenti sexagintasex.) Vnum autem est, qui habuerit notam, aut nomẽ bestiæ, aut numerum nominis eius. Suprà denique notam solam dixit, postea per synonyma ostendit, & notam dicit & nomen & numerum hominis. Hic est sapientia, qui habet intellectum, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est, inquit. Faciamus ergo numerum, quem dixit. Accepi, ut in numero nomen etiam cognoscamus, & notam. Numerus eius est, inquit, sexcenti sexagintasex, quem faciemus secũdum Græcos, præsertim ΑΔΑΣΙΑΜ scribens, & secundum idioma linguæ

guæ eorum, Ego (inquit) ſum Alpha & Ω, præmiſſis quantum potuit ſimulationibus partes aduerſę, quibus ſibi indebitum deitatis honorem diabolus nititur uſurpare, ut antichriſtum exprimeret diuino honori contrarium. Siue per notam, ſiue per numerum, nominis eius, ideſt beſtiæ ipſius nequiſſimę uoluntatis atque actionis indagandam præmonet qualitatem. Eſt enim nomen ΑΝΤΕΜΟΣ; quod nomen ſi per characteres ſuos, quibus numeris Græci lectitant, ſupputetur, ſexcentis ſexagintaſex impleri profectò reperies. Interpretatum quoq; dicit͞ honori contrarius: ac ſi diceretur honori, qui ſoli cōpetit Deo: in eo cōtrarius, quod docetur ineptus, importunus, incongruus: neq; enim honor ei, ſed anathema cōuenit. Quocirca per numerũ
 nomen

nomen, & ex nomine ſupputatus numerus inuenit̃, atq; ipſius interpretatione nominis, qualitas meritorũ agnoſcitur. Item aliud nomẽ, quod eiuſdem numeri complectitur ſummam, prudenter enim aduerti poteſt, ideſt A P N O Y M E, qui ſimul ducta faciunt ſexcenta ſexagintaſex. Interpretatio autẽ eius intelligitur Nego. Nec mirũ quod hoc uocabulo dignus dicatur Antichriſtus, ideſt negationis, quum Chriſto nomen congruat credulitatis, ipſo teſtante, quum dicit, Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, qui me miſit. Item, Quæ creditis in Deum, & in me credite. Ac per hoc ſiue honori cõtrariũ dixeris, quod eſt A N T E M O Σ: ſiue Nego, quod eſt A P N O Y M E: iure ad antichriſtum poteſt utrunq; referri, utpote per duas partes orationis

nis, nominis ſcilicet & uerbi, & perſonæ æqualitas, & operis inſinuetur aſperitas. Nam & Chriſti nomen, quem ſe per falſam imitationem antichriſtus accipi deſiderat: propè illum dierum perfecit numerum, quem in perſequutione antichriſti liber hic ſæpius pronunciat affuturum ΧΡΙΣΤΕΙ, ideſt dierum mille ducentorum uigintiquinque, in cuius ſe ſpecie fraudulenter opponit aduerſitas: hoc in nota, idem in monogramma, quæ in hunc modum exprimitur,

mille ducenti uigintiquinque: ubi compendio totum Chriſti nomen includitur. Verum quia ſolutus quoquè nominis numerus præfatam rurſus dierum mille ducentorum uigintiquinque perficit ſummam, eo quod in numero quadragenario & ſenario nobis inſinua-

tam meminimus Dominici corporis formã, quam pro primi Adam erroribus corrigẽdis, ſecundus Adam Chriſtus de Maria ſuſcepit. Propter quod in Euangelio dicit, Soluite templum hoc, & poſt tres dies reſuſcitabo illud. Et reſpõdentibus Iudæis, Quadragintaſex annis ædificatum eſt templum hoc, et tu dicis, In tribus diebus ſuſcitabo illud, quod Euangeliſta exponens ait, Ipſe autem dicebat de templo corporis ſui. Nec immeritò nomẽ, quippe Adam per Græcas literas, quadragenariũ & ſenarium complet hoc modo, Α Δ Α Μ, quæ faciunt quadragintaſex. Quum autem ipſe quoq; numerus fuerit ſolutus, et per ſemetipſum ſcriptus & ductus, facit quadragintaſex, illum Græcis literis numero nihilominus complet, hoc ſcilicet modo,

ΚΟΥ

ΚΟΥΑΔΡΑΓΙΝΤΑΣΕΞ qui in unum redacti, faciunt Mille ducenta uigintisex, superius in monogramma diximus. Nunc soluti nominis digesta series, demonstratur eiusdem numeri summa cōcludi: ut quum sibi utraque conueniunt, nō inanis, sed certi causam mysterij indubitanter insinuent. Ad hoc fortasse pertinet, quod de simulatione antichristi Apostolus loquens ait, Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquā sit Deus. Nam & in hoc libro, Apertum est, inquit, templum Dei in cœlo: Christo uidelicet ex Virgine nato: ut sicut falsa agni occisi imitatio plerunque similium, sic etiam in templum se Dei, arte, non ueritate transfiguret. Quosdam autem moueri posse non dubito, de numero mille ducentorum uigintisex, quod tres an

 ni &

ni & ſex menſes, non eandem numeri conficiunt ſummam. Sed ſciendum, quod nec uno modo, nec ſub unius eiuſdemq́ numeri definitione Scriptura diuina ipſum ſemper tẽpus inſinuat. Nam & in iſto libro de muliere quidem pariente loquens dicit, Alitur per tempus et tempora & dimidium temporis. alibi autem de dracone & beſtia, Data eſt, inquit, ei poteſtas menſibus quadraginta duobus. Itemq́ ibi, Dabo, inquit, duobus martyribus meis, ut prophetẽt diebus mille ducentis ſexaginta. quum conſtet inter quadragintaduos mẽſes, & mille ducentos ſexaginta dies, & ſeptemdecim dies, numerum diſcrepare. Nec in iſto tãtùm libro hunc numerum uariè poſitum nouerimus: quum etiã in uiſionibus Danielis, diuerſa numeri quantitate

hoc

hoc tẽpus ſignificare nouerimus. Nam dicit, Tempus temporum: id eſt unum & duos annos, Hebræorum more ſignificans. Item dicit, Dies mille ducenti nonaginta: alibi autem in decima uiſione, mille tercenti nonagintaquinq; dies ponit. Quæ omnia circa ipſius temporis ſignificationem ſic demorari uidentur, ut & dies iudicij, uel ſecundi aduentus non diuulgaretur humanæ notitiæ, opulentia Diuini ſermonis, diuerſaq; relatio poſſit exerceri deuotius. Inquirentibus deniq; diſcipulis, ſi hoc tempore præſentaberis, & quando regnum Iſrael, ita Dominus reſpõdit, Non eſt ueſtrũ ſcire tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Nam & in Græco, ΤΕΣΣΕΡΑΚΟΝΤΑΕΞ per ſuos characteres ſcriptum, ſpecialibus numeris ſubſumetur, ab

ipſius ſignificatione temporis non elongat, facit enim mille trecenta ſeptemdecim.

CAPVT XIIII

ET ecce uidi agnum ſtantem in monte Sion, & cum eo cētum quadragintaquatuor milia, qui habebant nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frōtibus ſuis.) Oſtenſa ſimilitudine, quam colit, et cui ſe ſimilem facit aduerſitas, inuicta quoq; Eccleſiæ caſtra oportuit declarari, ne tam uehementi perſequutionis impetu uel ſuccubuiſſe uel periȷſſe, infirmos animos æſtimaret. Ac ne de electorū numero quenquā cecidiſſe putaret, illorum facere maluit mentionem, qui arctioris uiæ, & anguſtioris ſemitæ apprehendere ſtatuerint tramitem:

atq;

atque ut ostenderet aduersantium nota; imitationis esse, non ueritatis, quam bonos nouerat ueri Dei durè gestare.

HABEBANT nomen eius, inquit, idest agni, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.) Numerus autem hic finitus pro infinito debet intelligi, & sacratus secreti significatione mysterij. Nam ternario numero triplicato fit nouenarius, & quaternario quater ducto sedecim faciunt. Nouies autem decus, sexies centum quadragintaquatuor adimplentur: in quo numero Virginei examinis mysticè insinuata est plenitudo, ut quum de istis tam copiosa dicitur multitudo, de cæteris Ecclesiæ mẽbris non dubitetur.

ET audiui uocem de cœlo, quasi sonum aquarum multarũ, aut ma-

gni tonitrui, & uox quam audiui, quasi citharœdorum citharizantium, & cãtabant nouum canticum in conspectu throni, & in conspectu quatuor animalium & seniorum: nec quisquam poterat dicere canticum, nisi illa centum quadragintaquatuor milia, quæ empta erant de terris: hi sunt, qui cũ mulieribus se non coinquinauerunt, uirgines enim permanserunt: hi sunt, qui sequuntur agnum quócunque uadet.] Quibusdã uisum est hunc locum sic accipendum exponere, ut non de solis fide & carne uirginibus, sed etiam qui legitimo temperanter potuerint uti coniugio dicerent agnoscendum, addentes Prophetarum & Patriarcharum exempla, quos Deo nouimus summo sanctitatis studio placuisse, ne tam excellentes uiri, ab ipsorum consor

tio

tio uirginum ſeparatos iudicarentur excipere. At quum diligentiori intentione perſpicitur, ex Diuinorum diſtributione donorũ, euidens in Eccleſia Chriſti differentia meritorũ, in profeſſione, ordine, uotoq́ꝫ diſſimili, ſequeſtrata illorum principali ſpecialiter dignitate: quia habendo coniugia, non ſolum nulla contrahere probantur offenſa, ſed etiam his propagandæ tantum prolis gratia utendo, magna inſuper conquirere potuerunt merita: eo quod uenturo Chriſto, talium coniugiorum prophetica militabat intentio. De alijs uirtutibus ſileamus, quibus eos floruiſſe, Scriptura teſte didicimus, eorum inquam excellenti culmine ſequeſtrato, nullus unquam putauerit uirginale decus, uel pudicitię coniugali, uel etiã uiduali continẽtiæ coæquandum.

Quod

Quod licet multis Diuinæ ſcripturæ coatteſtantibus probetur oraculis, hoc tamen loco præcipuè declaratur, cui exponẽdo beatus Auguſtinus properans, eumq́; ſuſcipiens exponendum, quid uel præmiſerit uel ſenſerit, ex eius libro, quem De ſancta uirginitate ædidit, in hoc opus curaui transferre, quo clareat uirgines honorabilẽ præ cæteris locum habere: quæ ſuper rectitudinem fidei, ſecundum quam uirgo eſt omnis Eccleſia, ſe Chriſto uouerunt, etiam carnis integritate ſeruata. Dicit enim, Habeant coniugia bonum ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem inuicem ſeruant, quia ſacramentum coniugíj non uiolant: hęc tamen

tamen omnia humani officij sunt munera. Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. cedat huic omnis fœcunditas carnis, cedat pudicitia coniugalis: illa non est in potestate ista, non est in æternitate, fœcunditatem carnalem non habet, cœlum pro fœtu habebunt. Magnum aliquid, præter cæteras in illa communi immortalitate qui habent aliquid, iam non carnis in carne. Et pòst paululum, Propterea, inquit, præceptum Domini de uirginibus nullum est: sed quoniam de uitatis remissis ue peccatis adeũda est uita æterna, in qua est quædã egregia gloria, non omnibus in æternum uicturis, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequen

quendæ, parum est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori uoueat, quod non sit criminis non uouisse, sed uouisse ac reddidisse sit laudis. Et pòst paululum in subsequentibus dicit, Quia ipsa uita æterna pariter erit omnibus sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia uerò in ipsa uita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ mansiones sunt apud Patrem. Ac per hoc in denario quidem non impari non uiuet alius alio prolixius, in multis autem mansionibus honoratur alio clarius. Pergite itaq; sancti Dei pueri ac puellæ, mares ac fœminæ, cœlibes & innuptæ pergite perseueranter in finem: laudate Dominum dulcius, quē cogitatis uberius: sperate facilius, cui seruitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius

tius

tius:lumbis accinctis,& lucernis ar
dentibus expectate Dominũ,quan
do ueniat ad nuptias. Vos afferetis
ad nuptias agni canticum nouum,
quod cantabitis in citharis uestris:
non utique tale,quale cantat uni-
uersa terra,cui dicitur, Cantate Do
mino canticũ nouum,cantate Do-
mino uniuersa terra,Sed tale,qua-
le nemo poterit dicere,nisi uos. Sic
enim uos uidit in Apocalypsi,qui-
dam præ cæteris dilectus agno,qui
discumbere super pectus eius soli-
tus erat,& bibebat & eructabat mi
rabilia,supercœlestia,uerbum De-
um.Ipse uos uidit duodecies duo-
decim milia sanctorum citharœdo
rum,illibatæ uirginitatis in corpo-
re,inuiolatæ ueritatis in corde. Et
quia sequimini agnum quócunq;
ierit, scripsit ille de uobis,Quò ire
putamus hunc agnũ,quò eum ne-

mo ſequi uel audeat, uel ualeat, niſi uos? quò putamus eum ire? in quo ſaltus et prata? Vbi (credo) ſunt gramina gaudia: non gaudia ſeculi huius uana, inſaniæ mēdaces: nec gaudia, qualia in illo regno Dei cæteris non uirginibus, ſed à cæterorum omnium gaudiorū ſorte, diſtincta gaudia uirginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria uirginum Chriſti non ſunt eadem, non uirginum, quamuis Chriſti: nam ſunt alijs alia, ſed nullis talia. Item in hæc ſequimini agnum, quia & agni caro, utique uirgo: hoc enim in ſe retinuit auctius, quod matri non abſtulit conceptus, & natus. Meritò eum ſequimini uirginitate cordis & carnis, quócunque ierit. Quid eſt enim ſequi, niſi imitari?

Quia

Quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum. Sicut ait Apostolus Petrus, Insequamur uestigia eius. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur: non in quantum ille filius Dei, est unus per quem facta sunt omnia, sed in quantũ filijs hominum, quæ oportebat, in se præbuit imitanda. Et multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur, uirginitas autem carnis, non omnibus. Non enim habent quid faciant, ut uirgines sint, in quibus iam factum est, ut uirgines non sint. Sequuntur itaque agnum cæteri fideles, qui uirginitatem corporis amiserunt, non quócunq; ille ierit, sed quousq; ipsi potuerint: possunt autem ubique, præterquàm quum in decore uirginitatis incedet. Beati pauperes spiritu, Imitamini eum, qui propter

 uos

uos pauper factus est, quum diues esset. Beati mites, & cæteris beatitudinibus peritè decursis subiũgit, dicens, Sed certè etiam coniugati possunt ire per ista uestigia, & si nõ perfectè in eãdem formam ponentes pedem, uerumtamen in eisdem semitis gradientes. Sed ecce ille agnus graditur in itinere uirginali, quomodo post eum ibũt, qui eum amiserunt, quod eum nullo modo recipiunt? Vos ite post eum uirgines eius, uos & illuc ite post eum: quia propter hoc unum, Quócunque ierit, sequimini eum. Quodlibet enim sanctitatis aliud donum, quo eum sequantur, hortari possumus coniugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiserũt. Vos itaq; sequimini eum, quoniam tenendo perseueranter quod uouistis, ardenter facite quum potestis, ne uirginitatis

tatis bonum à uobis pereat, cui facere nihil poteſtis, ut redeat. Videbit uos cætera multitudo fidelium, quæ agnum ad hoc ſequi non poteſt. Videbit, nec inuidebit: & collætando uobis, quod in ſe non habet, habebit in uobis. Nam & illud cãticum nouum, propriũ ueſtrum dicere non poterit: audire autẽ poterit, & delectari in ueſtro tam excellenti bono. Sed uos, qui & dicitis et auditis: quia hoc quod dicitis, à uobis audietis, felicius exultabitis, iucundiusq; regnabitis. De maiori tamẽ ueſtro gaudio nullus mœror erit, quibus hoc deerit. Agnus quippe ille, quem uos quócunq; ierit, ſequimini, nec eos deſerit, qui eum, quò uos non ualent ſequi omnipotentem agnum. Loquimur & uobis, Præibit, et ab eis non abibit, quũ erit Deus omnia in omnibus.

His sancti Augustini dictis ostenditur, quali debeat hic locus intentione cognosci.

HI empti sunt Deo & agno ex omnibus.] Ab exordio non dixit Hi omnes, sed dicendo Ex omnibus, præmissa doctoris summi firmauit inuenta, tanquam non uniformiter omnes, sed ex omnibus eminentiores: sicut Esaias quoque dicit, Hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meū, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomē sempiternum dabo eis, quod non peribit, in quorum ore non est mendacium. Quum sit omnis homo mendax, dono Dei hoc potuerunt, cuius facti participatione ueraces, Apostolum audiunt dicētem, Et hæc

qui

quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificaſti eſtis, & cætera.

ET inuenti ſunt ſine reprehenſione.) Illam hic repetit irreprehenſibilem dignitatem, qua & in fide ſynceritas, & in corpore ſeruata probatur integritas.

ET uidi alium angelum uolantem medio cœlo, habentem Euangelium æternum, ut euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & per omnes gentes & tribus & linguis, dicentem uoce magna.) Per Eccleſiam longè latéq; diffuſam, uel amplius dilatandam, diſcurrẽtem nuncium memorat: pro plurali ſingularem numerum ponens, aut in uno ſingularis Eccleſiæ inſinuans unitatem, tanquam prædicatores uitæ æternæ deſignans. Recte enim æternum dicitur Euangelium prædicare, quo Prædicator docetur æter

næ ſaluti proſpicere, ab hoc quod nunciatur, ille qui nunciat indicatur. Hinc Pſalmus, Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem. Sequitur,

METVITE potius Deum, & date ei claritatem, quoniam uenit hora iudicij eius.) Licet ab exordio fidei Chriſtianæ, dicit, oremus regnum cœlorum appropinquare, hic tamen inſtantiſſimè horam iudicij eius iam iamq; nunciat affuturam. Ideo huiuſcemodi prædicationem neceſſariò præmiſit omnibus exhibendam: ſicuti & Dominus dicit, Prædicabitur hoc Euangelium in uniuerſo orbe, & tũc ueniet conſummatio. Atque ut oſtenderet illum temporis articulum geri, quo nouiſſimæ perſequutionis inſtabit aduerſitas, adiecit Potius: ac ſi diceret, paruipendendam temporalem

bestiæ potestatem, & Dominum potius metuendum, quem omnes, quem memorat eius creatura, fatentur æternum.

ET adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum: & alius angelus secundus sequutus est eum, dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna, à uino iræ fornicationis suæ.) Babylon interpretatur Confusio. Significatur autem in ea diaboli ciuitas, ac populus, omnisq; corruptela uitiorum, quam in sui perniciem & humani generis semper exercet. Hãc ruituram iam cecidisse dicit, siue usitata Scripturæ eloquutione, qua solet præteritum tempus pro futuro contexere, quãdo id quod prænunciat, nouit ineuitabiliter adimplendum, sicut, Diuiserũt sibi uestimenta mea, & his similia: siue quia iam

tunc ſuperbi cognoſcũtur cadere, quãdo auſi fuerint ſuperbire. Hinc Pſalmus, Deieciſti eos, inquit, dum extollerentur: tunc utique deiecti, quando elati. More autem ſuo dixit Scriptura, A uino fornicationis ſuæ ceciderunt uniuerſæ ciuitates: quum hæc ciuitas quæ putatur, & quæ ex omnibus gentibus conflata, congregata aggregatur, ipſa biberit ex uino fornicationis. Omnes enim gentes erroribus inebriatæ, ipſa ciuitas eſt, ſed unam diuidit more ſuo.

ET tertius Angelus ſequutus eſt eum, dicẽs uoce magna, Si quis adorat beſtiam, & imaginem eius, & accepit nomen in fronte, aut in manu ſua, bibet & ipſe de uino iræ Dei mixto in poculo iræ.) De beſtia & imagine eius ſatis ſuperq́ iam dicta ſint, uerum quia certi hæ

retici

retici mala à nobis credulitate disce-
dunt, alij autem dissona morum
prauitate, à traditionibus nostris
exorbitantes, tali utroque malo pe-
rire monstrantur, omnem hic breui
ter in fronte & in manu complecti
tur inscriptionem bestiæ, adiectam
uiuentibus. Calix autem iræ non
solum illius intelligi debet, quã Do
minus dicit, Ira Dei manet super
eum, monstrans originale pecca-
tum: sed etiã illa, de qua Iudæis con
tumacibus loquens ait, In peccatis
uestris moriemini: adiecta damna-
bilium merita significãs actionum.

ET punietur igne & sulphure sub oculis sanctorum angelorum, & sub oculis agni, & fumus de tormentis eorum ascendit in secula seculorum.) In conspectu agni dicit, cuius iudicio patientur, quem cõtemnebant superbè, & cuius do-

mina

minari affectabant membris iniuſtè: angelorũ ſanè eius, qui eos pœnas iuſtas luere, Deo reuelante cognoſcunt.

NEC habebunt requiem die ac nocte, quicunqꝫ adorat beſtiam & ſimulacrum eius, & quicunque notam ſumit nominis eius.) Et mortuis & adhuc uiuentibus, huius narrationis genere totum beſtiæ corpus extruxit: hoc enim iam torqueri dicitur in defunctis, quod adhuc adorare in ſuperſtitibus conſtat. Quod autem die & nocte requiem, non habebunt adorãtes beſtiam & ſimulacrum eius, ideſt diabolus, aut in illo capite occiſo, aut in corpore toto.

HAEC eſt patientia ſanctorum, qui ſeruant præcepta Dei & fidem Ieſu.) Hinc Dominus, Qui uſque in finem perſeuerauerit, hic ſaluus

erit

erit. Et Apoſtolus, Patientia enim uobis neceſſaria eſt. Sic & hic in hoc, Sanctorum patientiam conſtare dicit, ut uſque in finem perſeuerantes, ſocietatẽ beſtiæ & notam nominis eius aufugiant.

ET audiui uocem de cœlo dicentem mihi, Scribe, Felices mortui, qui in Domino mortui ſunt.) Illi in Domino dicuntur mori, qui fide uitaq; probabiles, hinc meruerunt euocari. Deinde ſequitur, Ab hinc etiam dicit Spiritus, Iure quieſcant à laboribus ſuis. Sicut econtrario illos impios dixit, Die & nocte requiem non habere: ſic nunc fideles requiem dicit ex bonis operibus meruiſſe. Oportebat enim malorum facta mentione, bonorum quoq; beatitudinem ac plenitudinem prædicari: quæ quoniã in præpoſitis conſtat & populis, breuiter hic

hic utrunque complectitur, dicens indefinitè primùm, Felices illi mortui, qui in Domino moriũtur. Propter eos autem, qui in uinea laborant, requieſcant (inquit) à laboribus ſuis. Sic uidelicet uniuerſis pollicens felicitatem, ut in uinea laborantibus ſpecialem requiẽ fructum diſpendat poſt laborem. Hinc Apoſtolus, Rogamus (inquit) uos, ut noueritis eos, qui laborãt in uobis, & præſunt uobis in Domino, & monent uos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum: uel etiam de ſe, Plus omnibus laboraui. Nam opera eorum, inquit, comitantur eos. De his Propheta dicit, Et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos.

ET uidi, & ecce nubem albam, & ſuper eam ſedentem ſimilem filio hominis, habentem ſuper caput

ſuum

ſuum coronam auream, & in manu falcem acutam.) In nube incarnatio noſtri capitis Ieſu Chriſti, uel Eccleſiæ corpus, quam Chriſtus induit poſt perſequutionem, incēdia libata oſtendit.

HABENTES in capite coronā auream, ipſi ſunt ſeniores cum coronis aureis.) Siue duodecim apoſtolorum, quos initio prædicandæ fidei principaliter acquiſiuit. Hinc legimus, Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Falcem porrò acutam, iudicialem dirimendi ſententiam impijs debitam, eisq́; Diuino iudicio propter Eccleſiam iuſtius irrogandam, pro qua defendenda paſtor Chriſtus ſemper euigilat. Hinc Zacharias, Hæc eſt (inquit) deuoratio, quæ exibit in faciem totius terræ.

ET alius angelus uenit procla

mans

mans ad illum, ſedentem ſuper nubem, mitte manum tuam, & mete, quoniam uenit hora metendi, quia iam ſeges arida eſt terræ.) Meſſores, angelos, Domino exponente, futuros nouimus, & ſeculi finem maturæ meſſis indicio præſignatũ, in qua ſegete, quia & in culmis ariſtisq́ fragilibus paleæ, & in granis frumenta cognoſcuntur, ineſſe aptius hoc loco bonorum & malorum debitos fines ſignificari cognoſcimus, quando falcem maturis dicit meſſibus admouendam. Cui autem hoc potiſſimum fuerat intimãdum, quàm Eccleſiæ?

TVNC ille ſedens ſuper nubem miſit falcem ſuam ſuper terram, & demeſſa eſt terra.) Nouiſſimi examinis tempore peractis cum beſtia ſpiritaliter prælijs, ampliori poterit Eccleſia illuminatione cognoſcere

ſcere,quos ſuos debeat,quóſue alienos firmiter reputare. Hoc eſt enim ſuper nubem ſedere,tanquam iudiciaria diuinitus poteſtate percepta,inter bonos malosq́ diſcernere, Sedebitis mecum ſuper duodecim ſedes,iudicantes duodecim tribus Iſrael. Quod autem de aliĳs angelis ſequitur,Domini prorſus uidetur obtinere ſententia, dicentis, Meſſores , angeli ſunt . Quod autem ualet tritura ad meſſem , hoc torcular ad uuarum expreſſionem: ut & paleis exurendis,uineisq́ proĳciendis tempus aduenat, & fructibus recondendis cœleſtis habitationis receptacula ſecreta ſuccedant.

ET alius angelus proceſſit de templo,quod eſt in cœlo, & ipſe habens falcem meſſoriam.) Ipſe habet & uindemiatoriam, & qui di-

xit messori, Mete, ipse & uindemiatori, Vindemia, unum est enim, & uno tempore fiet: sed in messe & uindemia, sicut in agricultura et ædificatione Ecclesiæ figurata latitudo Diuini sermonis ostẽditur: quũ Apostolus dicit, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

ET misit in torculare iræ Dei magnum, & calcatum est in torculari extra ciuitatem, & emanauit inde sanguis usque ad frenos equorum, per stadios mille sexcentos.) Dicendo, Iræ Dei, sententiam hic pro ira ponit, quam superbo dicit inflictã, quem etiam magnum uocat, Tu, inquit, humiliasti, sicut uulneratũ superbũ. Non torcular, sicut Græca exemplaria continent, fœminini generis posuit, & magnum masculini extra ciuitatem: extra Ecclesiam futura uidelicet dissensione facta

cta, foris erit omnis homo peccati. Calcatio hic torcularis, uel tribula areæ inutilia conterit, & in tribula probat, ut ignis uasa, & iustos tentatio tribulationis. Sanguis exiens usque ad frenos equorum, ultio usque ad rectores perueniens populorũ. Quum enim persequutionis illatæ pœnas diabolus cum suis complicibus cœperit luere, sanguis sanctorum quondam effusus, qui ad eum principesque eius non incongruè dicitur peruenire, idest equos illos in persona hæreticorum bella mouentes, uel quicunque eorum sectantur errores, sicut antè prędictum est, In sanguine peccati, et sanguis te persequitur. Per stadia mille sexcenta, idest per omnes quatuor mũdi partes. Quaternitas est enim conquaternata, sicut in quatuor faciebus quadriformibus, & rotis. Quater e-

 nim

nim quadrigenteni, mille ſexcentos faciunt.

CAPVT XV.

ET uidi aliud ſignum in cœlo magnum & admirabile, angelos ſeptem, habẽtes plagas ſeptem nouiſſimas.) Inſtaurato rurſus ordine, eas deniq; plagas perſequutionis nouiſſimæ narraturus, attentum uoluit fieri auditorem, dicendo, Signum magnum & admirabile. In ſeptem planè angelis Eccleſiam intelligimus figurari.

QVONIAM in illis indignatio Dei conſummata eſt, & uidi uelut mare uitreum igne permixtũ.) Aquã uidelicet baptiſmi igne ſancti Spiritus conſecratam, uel etiam quod ad ignes pertinet qualitatem martyrio rubricatã. Hinc legimus,

Vaſa

Vaſa figuli probat fornax,& homi nes iuſtos tentatio tribulationis.

ET ſuper ſtantes uidi eos, qui de beſtia et imagine eius uictoriam ferunt.) Super ſtantes, ſtabiles demonſtrat in fide. Hos Pſalmiſta ſimili penè ſermone deſcribit, qui poſtea quàm dixit, Qui fecit cœlos intellectu ſpiritales, ſcilicet deſignans ſupernæ ueritatis ſerena intelligẽtia perfruentes: ſubiecit, Qui fundauit terram ſuper aquas, Super baptiſmum utique immobiles. Licet enim uideantur lacte nutriri, non tamen circumferuntur omni uento doctrinæ. Ideo & hic dicuntur de beſtia eiuſq; imagine triumphare, habentes citharas, Dei laudi bus corda dicata, & utriuſque Teſtamenti conſona ueritate canora, uel carnẽ ligno paſſionis extẽtam: ubi non tantum uocis ſonus, ſed e-

tiam boni operis ſignificatur effe-
ctus. Propterea & tanti uiri Moyſi
interpoſuit mentionem, cui Deus
teſtimonium perhibens dixit, Ser-
uus meus Moyſes, qui fidelis eſt in
omni domo mea.

ET cantantes canticum Moyſi ſerui Dei, & canticum agni.) Plenius hic electorum intentionem expreſſit, qui ex corde dicunt, Viam iniquitatis amoue à me Domine, & de Lege tua miſerere mei. Vel, Propter legem tuam ſuſtinui te Domine: hiſq́ſ ſimilia. Vt iſtos quoq́ de fidelium numero intelligi uoluerit, utpote uictoriæ memoratæ participes. In Moyſe autem Vetus, in agni cantico Nouum ſignificatum eſt teſtamentum, ut plenitudinem electorum ex utroque armatam, & in utroq́ doceat extitiſſe perfectã.

DICENTES, Magna & mira

bilia

bilia ſunt opera tua Domine omni
potens, iuſtæ & ueræ uiæ tuæ ſunt,
rex omnium gentium.) Vtriuſque
paginæ Teſtamenti hoc nobis con
ſona ueritate teſtantur, quia Vni-
uerſæ uiæ Domini, miſericordia &
ueritas. Omnium autem gentium
Rex hic aptius dicitur, quia non iam
apud Iudæam tantum notus dici-
tur, neque in ſolo adhuc uellere ros
cœlitus uidetur influere: ſed ſicut
Malachias dicit, A ſolis ortu uſque
ad occaſum, magnum eſt nomen
meum in gentibus, & in omni lo-
co ſacrificatur, & offertur nomini
meo oblatio munda. Quod hic eti-
am ſequitur,

QVIS non timebit, & dabit cla
ritatem nomini tuo? quoniam tu
ſolus pius, quoniam omnes gentes
uenient, & adorabunt corā te, quo
niam iuſta iudicia tua manifeſtata

ſunt.) Hæc ex abundanti exponuntur, quæ ipſo iam opere implere cernuntur.

POST hæc uidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi martyrij in cœlo.) Hic iam reuelare dicit addita teſtimoniorum arcana, de Chriſto Eccleſiaq́ præmiſſa.

ET proceſſerunt ſeptem angeli cum ſeptem plagis.) De Eccleſia contra quam pars aduerſa indeſinentibus rebellauit inſidijs: ideo dicit plagas procedere, ſiue pro defenſione Sanctorum, in quibus antea Dominus Chriſtus contumeliā ſuſtulit: ſicut Paulo dicitur, Saule, Saule, quid me perſequeris? Siue quia ſicut Iacobus memorat, Tempus incohationis iudicij, ex domo Dei. Gemino ſiquidem modo homines certum eſt flagellari, ut aut peccata, ſicut in Pharaone diuini-

tas

tas iusta castiget, aut sicut in Iob exercitio ampliori uirtutes examinet. Nec immeritò ab eo dictum legimus, Probauit me Dominus, sicut aurum, quod transit per ignem, uias eius custodiui, & à mandatis laborum eius non recessi. Angelorum autem numero, uel plagarum uniuersitatem consummationis arbitrio præsignari. Sicut in Leuitico frequenter dicit, Et percutiam uos septem plagis.

VESTE linea munda & candida.) Mortificatio solet in linteo figurari: unde si etiam in candore, irrepræhensibilia Dei iudicia cognoscantur, congruè mũdis linteis sensus aptatur, ut mortificati hoc etiã candore niuentur, quum reuelata facie iudiciorum, Dei gloriam speculantur.

ET cincti circa pectora zonas

aureas.) In auro ſapientiam poni, Scriptura teſte, docemur, quę dicit, Accipite ſapientiam ſicut aurum. Et benè circa pectora, ubi etiam ſacerdotale pectus legaliter ſępe iubetur geſtare elogium, ideſt rationale: ut & ſibi mens benè conſcia, Diuina non repræhendere, ſed laudare iudicia, & illius auri fulgore alios quoq; ad laudandum indubitanter hortetur.

ET unum ex quatuor animalibus dedit ſeptem angelis ſeptem phialas, plenas iræ Dei uiuentis in ſecula ſeculorum.) Superius ſeptem angelos cum totidem phialis memorat, habentes orationes Sanctorum: nũc autem plenas iræ Dei dicit, eædem quippe phialæ & ſuauitatem ſupplicationũ, & iram ſuppliciorũ continere dicuntur, quum à ſanctis pro regni Dei aduẽtu fun

duntur, quãdo iudicia Dei non iam occulta, ſicut abyſſus, ſed aperta, ut phialæ, iuſtis latura ſalutem, impijs uerò prædicuntur inferre perniciẽ. ſicut Apoſtolus dicit, Quia Chriſti bonus odor ſumus, in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt, alijs quidem odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem. Si enim de Domino noſtro dictum eſt, Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum, quid mirũ, ſi phialæ iuſtis ſuauitatem præbeant, impijs autem plagarum irrogent ultionem; ſi tamen ipſas, et non alias, hic debemus accipere.

ET repletum eſt templum fumo de claritate Dei, & uirtute eius.) Illud fumo ſignificari puta, quod non ab omnibus iudiciorum Dei arcana penetrari queant, menteſq; mortalium inflictarum conſidera-

tione

tione plagarum caligent palpitantes, quam nunc ſtatuit enarrare, & uſque ad earum finalem exitum, fumum in templo aſſerit perdurare. Meritò ſequitur,

NEC quiſquam poterat intrare templum.) Ideſt illud penetrare ſecretum, donec finirentur ſeptem plagæ illæ ſeptem angelorum: unde & Pſalmus, Hoc labor eſt (inquit) ante me, donec introeam in ſanctuarium Dei, & intelligam nouiſſima. Aliter, in fumo adſolet ſignificari Confeſſio. Sicut enim fumus præcedit incendium, ſic flammã fidei & charitatis præcedit confeſſio peccatorum. Propterea Pſalmus tales deſignans dicit, Qui aſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigabunt. Reſpexit denique Dominus Petrum, & confeſſionum lachrymis diluit,
quod

quod negans pauorem contraxit. Vt iste sit sensus, Nec quisquam poterat intrare templum, donec finirentur septem plagæ: idest nullus adhuc poterit dicere, Deambulabã in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ, & introduxit me Rex in cubiculum suum. nisi quia omnia præterita prauorum, confessione curauerit delere commissa. Quoniã cogitatio, inquit, hominis confitebitur tibi: ecce fumus. Et reliquiæ cogitationum, solennia celebrabũt tibi: tanquam impetrata ei iustificationis secura laudatio. Itaq; donec omnes plagæ finiantur, in lamentabili confessione Ecclesia demoratur, & in illis quos diximus offensis priores pœnas luere fructuosas, & in illis, quos meliori constabit cultu probari.

Caput

CAPVT XVI.

ET audiui uocē magnā de templo, dicētem septē angelis, Ite, & septē phialas, quas accepistis iræ Dei, effundite in terram.) Non solum ineuitabilis hic Diuinæ iussionis exitus reuelatur, sed etiā illa potestas, quam diuinitus accipere Ecclesia specialiter meruit, iudicium irrogare damnandis, & absolutionem misericorditer dare conuersis.

ET abijt primus, & effudit phialam suam in terram, & factum est uulnus pessimum magnum super homines, qui habēt inscriptionem nominis bestiæ, & qui adorant simulachrum eius.) Mortificati corporis qualitas ita se habet, ut plus præualeat modicus, quam obtinuerit in corpore locus, ad inferendam mortē, quàm residua corporis pars

ſana,uel amplior,ad reſeruandam hominis ſanitatem. Et licet prædicatio Domini Ieſu Chriſti,ſicut credẽtibus ſalutorio, ſic damnationis teſtimonio ceſſit incredulis. Poteſt omni corpori perditorum, ex hac labe uulnus peſſimum irrogatum intelligi. De Chriſto enim legimus, Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorũ, & in ſignũ cui contradicetur. Plus tamen gens Iudæorum, de qua antichriſtus traditur naſciturus, hoc uno peccato, ſi quas habere poſſent Legis iuſticias, perdiderunt, & ipſi irremediabiliter perierũt, eo quod Chriſtum ſibi promiſſum ſuſcipere noluerũt: ex quorum perſona, à fratre maiore dicitur Patri, Ecce tot annos ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterij, & nunquam mihi dediſti hœdum, ut cum amicis meis

epula

epularer: & cætera. Ille enim popu lus, qui agnum ſpreuit, tanquam exteriora contemnens, propter agnos ad dexteram hœdum complexus eſt: utpote in ſiniſtra damnandos exorbitans, deſpiciens, ac pro Chriſto accepit antichriſtum. Ideo hic fortaſſe dicit, Et factum eſt uulnus peſſimum magnum ſuper eos homines, qui habẽt inſcriptionem nominis beſtiæ, & qui adorant ſimulacrum eius, ut hoc uno uulneris reatum confeſſi, æterna iudicentur pœna plectendi. De hoc peccato, tanquam de ulcere peſſimo Dominus dicit, Si non ueniſſem, & loquutus eis fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationẽ non habent de peccato ſuo. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & uiderũt, & oderunt

& mẽ

& me & Patrem meum. Hoc eſt irremediabile uulnus. Verum quia multos habebunt peſſima imitatione ſequaces, ideo infinitè dixit, Super eos homines, qui habent inſcriptionem nominis beſtiæ, ne de ſola hoc Hebræorum putaretur gente dixiſſe. Nam ſicut in bono per imitationem fidei, gentes quoque filios Abrahæ Lex uocitat, non de eius carne naſcendo, ſed confitendo Chriſtum de tribu Iuda, à mortuis reſurrexiſſe uictorem, ſic in malo Iudæos ex Gentibus ſectatores credendum eſt habituros, qui antichriſtum, qui de tribu Dan dicitur naſciturus, ſuſcipiendo atque ſequendo, eorum notētur eſſe complices in nota criminis, quorū participes erunt in pœna ſempiterna.

ET ſecundus angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt

ſanguis, tãquam mortui, & omnis anima uiuens mortua eſt in mari.) Aquam uerſam fuiſſe in ſanguinẽ, facile eſt animaduertere de ſpiritalibus rebus ſentire carnaliter, quod in illa prima plagarum, quas legimus Aegyptijs inflictas, ſine aliqua difficultate cognoſcimus, figuratur. Sed tunc aquas dulces in ſanguinem dicit fuiſſe conuerſas, ſiue flumina Aegypti, ſiue pluuiales: ſicut quædam translationes oſtendunt, dicentes, Et pluuiales aquas eorum in ſanguine: quod Græci quoquè βρέγματα poſuerunt. Hoc autem nunc in quæſtionem uenit, quod iſto loco In mari, ideſt in aquas amaras & ſalſas, ſecundam phialam dicit effuſam. Et factum eſt, inquit, ſanguis, et omnis anima mortua eſt in mari. Vnde illos hic ſignificari puto, qui in populo Iu-

daeorum

dæorum non ſolum ſpiritalem Legem carnaliter ſapere ſtuduerunt, unde nec Chriſtum in ea cognoſcere potuerũt. Si enim cognouiſſent, ait Apoſtolus, nunquam Dominũ gloriæ crucifixiſſent. Sed etiam eouſqꝫ ſunt pondere meritorum adducti, tanquam ſecundo uulnere deterioris plagæ percuſſi, ut ſimulacrum beſtiæ exoptent, & inſcriptionem nominis eius habẽtes, antichriſtum pro Chriſto adorãdum exiſtiment. Ideo fortaſſe hic in ſecunda phiala ponitur, quod in Exodo in prima plaga contigiſſe ſcribitur, utpote de ſterilibus aquis ad fœculentiã inſuper tranſierunt ſanguinis, per quam omnem dicit animam in mari, ideſt in ſeculo fuiſſe necatam. A toto pars, ſicut, Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Aperta quippe ſterilitate

que ad ſanguinem Zachariæ. Poteſt tamen etiam illius plaga cæcitatis intelligi, ut & illi cognoſcantur ſanguinem Prophetarum fudiſſe, qui eis abutentes, eorum ſenſus in alium deriuãt: quomodo ſi diceret, Qui ſpiritalem legem carnaliter ſapuerunt, iuſtè corruptionibus carnis & ſanguinis addicti traduntur: ubi & peccata, & pœna cognoſcitur peccatorum. Hinc Apoſtolus dicit, Eo quod charitatem ueritatis non receperũt, ut ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mẽdacio, & iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt iniquitati.

ET audiui aliam uocem, dicentem, Etiam Domine Deus omnipotens, uerè iuſta ſunt iudicia tua.) Hic etiam tale eſt, quale in Pſalmis, Fiat, fiat, Hoc autem imitando debemus

bemus dicere, non exponendo sen ſum apertum moras imitari.

ET quartus angelus effudit phialam ſuam ſuper ſolem, et datum eſt ei ignem & æſtum inijcere hominibus, & æſtuauerunt homines æſtu magno, et blaſphemauerũt nomen Dei habentes poteſtatem ſuper plagas iſtas.) Non ſoli datum eſt, ſed ei angelo, qui ſolem perfudit. Non autem hic gehennæ putandus eſt ignis, neq; enim ibi blaſphemandi iam locus ullus relinquitur, quando damnatis infructuoſæ tantum pœnitudinis tempus adueniet, ita ut dicturos Lex memoret, Quid nobis profuit ſuperbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Quocirca ignem hic & æſtum arbitror debere cognoſci, quod diaboli corpus de ſtabilitate Sanctorum irremediabiliter cruciabit̃, & ad blaſ

phemandum, ipſo æſtu excitati coguntur. Fortaſſe enim inde Super ſole dicitur, ſole uidelicet iuſticiæ, tanquam de ſole ablatiuo caſu poſuerit: ſicut legimus, Vigilabo ſuper uerbum meum, ut faciam illud: & Daniel, Quæramus miſericordiam à facie Dei omnipotentis ſuper ſacramento iſto. Vt unde electi illuminationis percipiunt firmitatem, inde impij ſumere dicantur incendium.

NEQVE egerunt pœnitẽtiam, ut darent ei claritatem.) Blaſphemantium ipſe mos eſt, ut non ſe impietatis, ſed Deum mallent iniquitatis arguere: nec poſt plagas pœnitentiam gerere, ſed etiam flagellati contumelioſe indureſcere. Sicut enim uaſa ænea incẽdio grandi ſubaccenduntur, ut exiliendo ſcatentia foris ebulliunt, & ſuæ capacitatis

tis partem exhalant: ſic & pars beſtiæ in uictoria exiſtẽs, quum Chriſti Eccleſiam infatigabili uiderint conſtantia dimicare, intolerabilis inuidentiæ facibus inflammati, conceptum corde incendium, oris impuri exhalant blaſphemijs. De hoc igne legimus, Zelus appræhẽdit populum ineruditum, & nunc ignis aduerſarios conſumet.

ET quintus angelus effudit phialam ſuã ſuper ſedem beſtiæ, & obſcuratum eſt regnum eius, & comederunt linguas ſuas à dolore.) Sedes beſtiæ, uel regnum eius, tanquam iudiciaria poteſtas, ideo dicitur obſcurari, quia æternæ felicitatis contenebrati lætitia, quum bona præſentia pro ſumma felicitate poſſidendo collaudãt, & ueritatem in iniquitate detinent, linguas ſuas comedunt. Huic ſenſui Pſalmus

concinit, dicens, Quorũ os loquutum est uanitatẽ, & dextera eorum dextera iniquitatis, & iniquitatem in excelso loquuti sunt. Supercilio enim momentaneæ prosperitatis, ut fumus elati, unde pœnitẽdo con uerti debuerũt, contenebrati lætantur. Ducunt enim, ut Iob dicit, in bonis dies suos, & in punctum ad inferna descendunt.

ET sextus angelus effudit phialã suam super fluuiũ illum magnum Euphraten, & siccata est aqua eius, ut præpararetur uia uenienti Regi ab oriente sole.) Idest Christo, de quo legimus, Ecce uir, Oriens nomen eius, cui uenturo ad iudicandum uia præparatur. Nomine porrò fluminis, Euphraten: sicut in mari flumina, fontes aquarum, Sol, thronus bestiæ, super quæ Angeli suas phialas effudisse dicuntur, ho-

mines immundos designant. Et siccata est aqua eius, id est nihil in se iam populi uiroris habebũt, quod non igni congruat iudicij propinquitatis. Sicut superius, maturitate messis dicit aruisse, & uindemiam occurrisse: sic & hic tropicè dicit, aquam exsiccatam, id est pro uictu nihil utiq; remansisse. Iam uiui uel exsiccentur tentatione ut fœnum, uel sancti probentur ut aurum.

ET uidi ex ore draconis, & ex ore pseudoprophetæ spiritus tres exeuntes immundos in modum ranarum.) Licet pro uarijs passionibus uexationum, uitiorumq; cunctorũ diuersitatibus qualitates maligni spiritus habere dicantur: nec immerito in Euangelio, alibi quidẽ dixit, Surde & mute spiritus: alibi autem spiritum immundum: alibi Propheta spiritus fornicationis per

didit

didit eos, non ob aliud, nisi quod ad perpetrandas immundicias flagitiorũ præcipitet captiuatos. Hic tamẽ omnes tres propterea omnes immundos posuit, quia unum diaboli corpus solitis compactum differentijs designauit, illa memorãs, quæ maiorem obtinẽt potestatem, draconem inducens diabolũ, bestiam antichristũ cũ suis, pseudoprophetã præpositos & doctores dogmatum noxiorũ. Vnum ergo spiritum uidit, & pro numero partium unius corporis tres dicit, ut omnis numerus perditorũ, uno maligno agi spiritu proderetur: fortasse enim ideo & horrendam ranarum fœditatem eorum comparãs temeritati, subiunxit. Istis enim pseudoprophetis ranarum more, tãquam animantibus cloacosis nocte, damnabiliter erroris latratu conuenit

perstre

perſtrepere. Ranæ enim & loco & uiſu, moleſtoq́ʒ ſtrepitu ſic odibiles habentur, ſicut diabolus cum ſuis agnoſcitur abominabilis ueritati, meritoq́ʒ iuſto igne damnandi. Licet aperto, ſimili tamē ſermone beatus Apoſtolus loquitur, quum præmitteret dicens, Nolite iugum ducere cū infidelibus. Quæ enim portio iuſticię cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ac tenebris? quæ autē conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Ita & hic ſplendore illorum immundus ſpiritus, in modum dicit exire ranarum, ac ſi diceret, Quid autem cœnum compareas cœlo? quod conueniet habitationi ranarum, & illius horrendi pſeudoprophetæ blaſphemijs, tantum diſtare doctores aſſerens ueritatis, quantum

tum ranas ab hominibus sanctis, ut etiã qui idonei nõ sunt, eius fraudes potẽtia discretionis refellẽdas agnoscere, ranarum saltem horrore perculsi, tales studeant deuitare, qui sicut ranæ ignaros impediũt, ne qui eo deuotionis cultu percipiant ueritatem. Sunt enim, inquit, spiritus dæmoniorum signa facientium, ita nanq; sicut etiam per magos Pharaonis credendi sunt signa facturi: nec immeritò eorum meminit, facta mentione ranarum, nisi ministros Satanæ tunc quoquè similia prædiceret signa facturos. usq; ad signum enim ranarum suis Magi incãtationibus ualere permissi sunt.

EXEVNT ad Reges totius terræ contrahere illos in pugnam.) Non quod ex toto orbe ad unum locũ colligat, sed quod unamquãq; gentẽ in loco habitationis suæ, suis

captam

captã uelit superstitiõibus militare.

IN diem illum magnum omnipotentis Dei.) Dies Domini pro locorum diuersitate debet intelligi: aliquando enim pro toto tempore à passione Domini, qui futuri sunt, ultimo iudicio condemnari, nunc congregari dicuntur, ac si diceret, præparari. Aliquando diem Domini, diem iudicij oportet intelligi: aliquãdo persequutionis tempus, unde manifestum est, per totum tempus uitæ præsentis huiusmodi congregari, qui uenit subitò, ut fur. Hinc Apostolus, Sicut fur, inquit, in nocte, ita ueniet.

BEATVS qui uigilat & seruat uestimenta sua, ne nudus ambulet, & uideat turpitudinẽ suam.) Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Hæc pia & iusta & immaculata hic cõmen-

dari

dari ſeruanda uidentur, ne improborum arte reſcindatur, nec proborũ reſperſa maculis inquinetur. in utroque enim, præuaricatorum detegitur turpitudo, quam uigilantium perſeuerans deuitat intentio.

ET congregabit illos in locum, qui uocatur Hebraicè Armageddon.) In alia recapitulatione interpretatus eſt locum dicens, Congregauit eos in bellum, quorum eſt numerus ſicut arena maris.

ET ſeptimus angelus effudit phialam ſuam in aerem, & exiuit uox magna de templo à throno, dicens. Factum eſt, finitum eſt: & facta ſunt fulgura & uoces & tonitrua & terræmotus & ſigna magna.) Recapitulat eadẽ, perſequutionem, commotionem incomparabilem memorat, in qua miracula & prædicationes quidem dicit in-

eſſe

esse: sed utrum à parte bonorum falsitati contradicentium, an à parte malorum illa signa, quæ memorat, perseuerent ad exercendum bonos & obturandum malos: an ex utraque parte signa sibi altrinsecus coeant, non hic satis elucet. Sicut à Moyse & Magis factum est Pharaonis, si quid tamen horum sit etiam signa, sicut terræmotũ prænoscendum est, instante die, solito amplius incomparabiliter eminere.

ET ciuitas illa magna in treis partes diuisa est.) Ciuitas magna pro multitudine populorum, & supercilio fastus, quod immodicis ausibus ferebatur. Quæ fiet in treis partes, una gentilitatis, altera in hæreticis & in Iudæis, & una tertia quæ in falsis fratribus reprobatur, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant, quum sint abo-

minati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Sequitur nanque,

ET ciuitates gentium ceciderunt.) Ideſt omne robur fiduciaq́ꝫ gentilium.

ET Babylon ciuitas magna sub conſpectu Dei uenit.) Confuſam interpretatur Babylō, propter multitudinem perditorum.

VT daret illi calicem uini iræ ſuæ indignationis.) Debitæ ultionis retributio malis reddi perſcribitur.

ET omnes inſulæ fugerunt, & omnes montes non ſunt inuenti.) Nomine inſularum ſimul ac montium Eccleſiam figurari coniĳcio, propter ſtabilitatis eminētiam: qui bus per Eſaiam dicitur, In doctrinis glorificate Dominum, in inſulis maris nomen Domini Dei Iſrael,

el. Itemq́ꝫ, Et erit in nouiſſimis diebus præparata domus Domini ſuper cacumina montium. Fuga hic, quādo malorum ſocietas ſic poſtremò fugietur, ut nulla deinceps Eccleſiæ cum malis inueniatur confuſa permixtio. Hinc Propheta, Fugite, inquit, de medio Babylonis, & ſaluate unuſquiſqꝫ animas ueſtras. Tunc autē Babylonia cadit, quando nouiſſimā poteſtatē perſequendi ſanctos acceperit. Propterea ante ruinam exaltatur (inquit) cor, & ante gloriam humiliatur ſpiritus.

ET grando ingens talēti ponderis de cœlo ſuper homines fuit, & blaſphemauerunt homines Dominum, propter plagam grandinis, quoniam plaga magna à grandine facta eſt.) Iram ultionis in grandine ponit, de qua legimus, Ira Domini ſicut grando deſcēdit. Ab hac

ſe ſuos munire Dominus pollice-
tur, dicens per Apoſtolum, Qui e-
ripuit nos ab ira uentura. Nec im-
meritò talenti ponderis memorat,
niſi quod Diuini æquitate iudicij,
pro diuerſitatibus culparum ſingu
lis infligatur. Talentum enim alte-
rius apud Græcos, alterius apud
Romanos quantitas exiſtimatio re
penſetur. Verũ quia alia ſunt pec-
cata, alia flagella, alia utrunque, de
quibus diſputare perlongum eſt:
hic blaſphemare Deum, pro gran-
dine & peccatum cognoſcitur, &
pœna peccati: qua ſic impij cæcan-
tur, ut nec correcti reſipiſcant, &
ipſis filijs deinde blaſphemijs flagi-
tioſiùs inſaniunt. Eſaias deniq; di-
cit, Domine iratus es, & ecce pec-
cauimus.

Caput

CAPVT XVII.

ET uenit unus de ſeptem ange lis habentibus phialas ſeptem, & loquutus eſt mecum, dicens, Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, ſedētis ſuper aquas multas.) Simile quidem de diabolo Eſaias quoq; ponit, quem ſub figurata perſona principis Babyloniæ prædicit ruiturum, Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? & cætera. Conſiderans Spiritus ſanctus corpus omnium perditorū, quod diuerſis quidem, ſed cōgruis nominibus uocitat, uarijs iamdiu ſuperbiens exceſſibus progredi, corrumpi flagitijs, erroribusq; raptari, tantaq; impietate ſæuire, ut mitibus etiam aduerſentur, congrua periturum circumſcriptione depinget, meretricem uo-

cans, quia relicto creatore dæmonibus se prostrauit constuprandam, propter immanitatem præuaricationum, per quam Sanctis diutiùs insultabat.

SVPER aquas multas.) Populus scilicet multus.

CVM qua fornicati sunt Reges terræ.) Idest terrena superbia petẽtes. Sic autem eas & Reges & terrigenas diuidit, ut ex eis eam existere nouerimus, de uino fornicationis eius premissam uitiorum insinuat corruptelam. Sicut enim uinum mentes hominum, sic libido uitiorum excæcat nutabundos.

ET duxit me in desertum.) Desertum ponit Diuinitatis absentiam, cuius præsentia paradisus est.

IN spiritu.) Quia spiritu possunt ista discerni.

ET uidi mulierem, sedentem super

per bestiam.) In cuius etiam potissimum sermo Diuinus specie subornaret, nisi mulierẽ, à qua initium peccati, & propter quam (ut scriptum est) moriemur omnes. Super bestiã sedere dicitur, utpote de qua fastu præsumptionis extollitur.

COCCINEAM.) Cruentam bestiã, ut dictum est, corpus agno cõtrarium: in quo nunc diabolus, nunc caput uelut occisum, nunc eius accipiendus est populus, quod totum Babylon est, idest Confusio. Coccineam itaq; impietate cruentam, & corruptionibus tanquam sanguinibus ebriatam.

PLENVM criminibus blasphemiæ.) Quum plus sit, opere perficere blasphemiã, quàm uocari blasphemus, hic tamen etiam eam in pleno dicit abundare nominibus, ne quicquam eius deesse putetur

excessibus. Et quia aliud est peccare Deo, aliquid peccare in Deum: qui blasphemat, ampliore in Deum reatu delinquit.

HABENTEM capita septem, & cornua decem.) Persequutione nouissima properante, decem Reges futuros, sancti quoque Danielis prophetia testatur. Hos nunc in septem capitibus & decem cornibus bestiæ, hic liber sæpe designat. Super quos ideo superius etiam diademata esse dicit, quod regnis omnibus interemptis, soli poterunt in toto orbe regnare. Deuictorum quippe signa, regnorum diademata, ut trophæa, superbis dicit præferre uictoribus. Propterea autem septem capita, septem montes per sapientiæ sensum monemur consequenter intelligi, ut Romam, quæ super septem montes præsidet, signifi

gnificans, quæ omni quondam orbi monarchiæ præfuit dominatu, ad istorum Regum similitudinem adduxisset, & in Romæ nomine, totius terreni regni potentiam figuraret. Septenario enim numero uniuersitatem uoluit ipsius dominationis ostendere, eo quod ex ternario & quaternario, idest impari & pari, tanquam ex diuerso confectus, uniuersitatem insinuet. Sicut satis superq; iam dictum, quod de septem ecclesiis in bono præmisimus figuratum, quum una Christi Ecclesia prænuncietur orbem possessura terrarum. Cui nunc idem numerus, ex aduerso in istis, quos memorat, septem capitibus uidetur opponi, in quibus significata uniuersitate potentiæ, fore dicitur principari. Et in bono enim & in malo, septenarium numerum fre-

quenter ſacra Scriptura teſtatur: nam quum Spiritus ſanctus pro ſeptenaria operatione, Eſaia Propheta teſtante, ſeptiformis eſſe credatur: in bono ſpiritu, inquam, ſeptiformis ſæpius deſignatur. Et quoniam horum monarchia Regum, quæ Chriſti Eccleſiæ contraria frequẽter opponitur, non ſolum aperta oppreſſione potentiæ fideles impugnat, ſed etiam ſub ementita ſpecie ueritatis illaqueare deſiderat manifeſtam eius potentiam, in decem cornibus. Veriſimilem autem fraudem in ſeptem capitibus deſignauit, propterea & uehemens eadem perſequutio futura prædicitur, in qua ſimulatio fallendi potentiæ ſuffragatur: & quod ſimulationi deerit, poteſtate ſuppletur. Huius præſtigia fraudis ſuperius memorat dicens, Et unum caput ex

capi

capitibus ſeptẽ, quaſi occiſum fuerit ad mortem, & plaga mortis eius curata eſt: ideſt ex uniuerſo potentatu ſecularis regni, Eccleſiæ contrarij, unum caput, ideſt antichriſtus, qui ſe pro Chriſto uult ſuſcipi, aſſerens ſe quaſi mortuum reuixiſſe: quum incautos quærit à Chriſto uiuere, mortuus eſt, & reſurrexit, impiè ſeparare. De hoc etiam præmiſerit, quod ei draco, ideſt diabolus, uirtutẽ ſuam dedit, & thronum & poteſtatem magnam, idcirco & plenam dicit nominibus blaſphemiæ. ſicut rurſum, Super caput, inquit, eius nomen blaſphemiæ. Deterior autem inueniri non poteſt blaſphemia, quàm ut contrarius Chriſto, quod & nomen eius Antichriſtus indicat, ſe uelit habere pro Chriſto, ut quos non poteſt uiolenter terroribus frangere, adumbrata

ſtudeat ueritate ſeducere. Et apertum declinantes errorem, uerisimilem incurrere adigat falſitatem. Hanc Dominus peſtem in Euangelio docuit præcauendam, hæc dicens, Quum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærẽs requiem, & non inueniens, & dicit, Vadam ad domum meam unde exiui: & quum uenerit, reperit eam uacantem, & ſcopis mundatam atque ornatam: tunc abijt, & adiungit ſibi ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſus inhabitat illic, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Nónne de uno ſpiritu immundo ſuperius loquebatur? Cur alios ſeptem nequiores ſe dixit? niſi quia ſic ſeptiformis immundus ſpiritus cognoſcitur, ut etiam latentibus malis nequior ſeptempliciter

inue

inueniatur. Et ut quod dicimus, plenius innotescat, intentum decet esse Lectorem. Spiritus bonus, spiritus sapientiæ: cui econtrario malus opponitur spiritus insipientiæ. Alter peior, simulatio sapientiæ: spiritus bonus, spiritus intellectus: malus autem, spiritus stulticiæ. Alter peior, simulatio disciplinæ: spiritus bonus, spiritus consilij: malus autem, spiritus imprudentiæ. Alter peior, simulatio prouidentiæ: spiritus bonus, spiritus fortitudinis: cui opponitur malus, apertæ ignauiæ. Spiritus autem infirmitatis, fallens obumbratione uirtutis. Spiritus bonus, spiritus scientiæ: cui contrarius ponitur, spiritus ignorantiæ: nequior autem, usurpatio scientiæ. Spiritus bonus, spiritus pietatis: malus uerò, spiritus impietatis. Alter peior, falsæ pietatis obtentus.

Spiri-

Spiritus bonus, ſpiritus timoris Dei: cui contrarius eſt, ſpiritus temeritatis. Alter peior, dolus fictæ religioſitatis. Idcirco ad oſtendendam ſimulationem partis aduerſæ, hic paulò latius uolui demorari, ut hæc expoſitio ad multorum nobis locorũ proficiat intellectum. Hanc omnifariam perſequutionẽ in potentatu uel aſtu futuram, Apoſtolus quoq; denunciat dicens, Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum, cuius eſt aduentus ſecundum operationẽ ſanè in omni uirtute & ſignis & prodigiis mẽdacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, in his qui pereunt. Virtute, potentia ſeductionem, hypocriſim mendaciis ſignificat.

ET mulier erat circũdata pur-

pura & coccino.) In purpura, fucus simulati regiminis: in coccino, cruẽtus impietatis habitus demonstratur.

ET aurata auro & lapide preciosо & margaritis.) Ideſt omnibus illecebris ſimulatæ ueritatis, quam in illis ſpiritibus nequam abundanter expreſſimus. Quid ſit denique intra hanc pulchritudinem exponit, dicens,

ET habebat poculum aureum in manu ſua, plenum abominationum & immundiciæ ſcortationis totius terræ.) Aurum ergo hypocriſis, quia ſicut Dominus dicit, Foris quidem parẽt hominibus, quaſi iuſti, intus autem pleni ſunt omni immundicia.

ET in fronte eius nomen ſcriptum ſacramenti, Babylon magna mater fornicationum & execrationum

num totius terræ.) Ne superstitio erroris pallio falleret ueritatis incautos, ex titulo frontis fecit esse sollicitos, dicens,

ET uidi mulierem illam ebriam factam de sanguine Sanctorũ, & de sanguine Iesu Christi.) Competenter eam largitas Diuini sermonis uitijs insanientem ostendit.

ET miratus sum, quum uidissem eam miraculo magno, & dixit mihi angelus, Propter quid admiratus es? ego tibi ostendam sacramentum huius mulieris, & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem: Bestia, quam uidisti, fuit, & non est, sed ascensura est ex abysso, & in perditionem uadit.) A mundi exordio duarum ciuitatum exortus ac series hactenus currere sacris literis edocetur: quarum est una Dei, altera

ra diaboli, quæ hic beſtia deſignatur, tanquam totum corpus omnino malorum: & ideo dicit, Fuit, & non eſt: quia decedentium & ſuccedentium ſibi generationum ordine ſupplendum extruitur. Idcirco ſequitur, Et aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum uadit. Diuino enim iudicio, occulto quidem, ſed iuſto, peragitur. Hinc Pſalmus, Iudicia tua, abyſſus multa: ſiue quod de cordibus proditura ſit impiorũ: unde Pſalmus, Abyſſus abyſſum inuocat.

ET admirabuntur omnes inhabitantes terram, quorũ non ſunt ſcripta nomina in Libro Vitæ, ab origine mundi, uidentes beſtiam, quæ erat, & non eſt, & uẽtura eſt.) Eoſdem ipſos ponit, ex quorum membris damnandum corpus exſtruitur; ſed ſi nomina faciunt am-

biguitatem,idem nanq; in Episto-
la sua cum singulari numero dice-
ret, Audistis, quia antichristus ue-
nit, nunc autem antichristi multi
sunt. Et post paululum, Ex nobis
exierunt, sed non fuerũt ex nobis,
nam si fuissent ex nobis, perman-
sissent utique nobiscum. Ideo non
sunt in Libro Vitæ nomina eorum
scripta. Ipsi ergo, quos fines mun-
di uiuentes inuenerit, damnationis
experientes interitum, sera cogni-
tione mirantur, non ipsum fuisse
Christum, quem putabant, obum-
brata bestię seductione decepti, sed
Christum nostrum, quem iudicem
profectò sentiẽt iustissimè condem
nati. Sequitur,

A constitutione mundi.) Sicut
nouit Dominus, qui sunt eius, qui
bus etiam dicturũ se promisit, Ve-
nite benedicti Patris mei, percipite
regnum

regnum, quod uobis paratum eſt à cõſtitutione mundi. Ita & qui non ſunt eius, non habet ſcriptos in Libro uitæ, à cõſtitutione mundi: ſed tanquam ſibi incognitos, & à longe præſcitos æterni ignis eſt ſupplicio damnaturus, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Excelſus eſt enim Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcet. Inde dicit, Et non noui uos, diſcedite à me operarij iniquitatis.

VIDENTES beſtiam, quæ erat, & non eſt: & hic eſt ſenſus, qui habet ſapiẽtiam: illa ſeptem capita, ſeptẽ montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & Reges ſeptẽ ſunt.) Aliter frequẽter diximus, in unaquaq; ſpecie genus oſtendi: nam quod eſt omnis beſtia hoc ſeptem capita, denique capita & ſeptem montes dicit eſſe, & ſeptem Reges: ideſt uni-

uersam malorum partem, quæ in præpositis, tanquam in Regibus constat, & subditis. Quæ ideo uocabulis uarijs nũcupatur, propter diuersitatem actionum, quæ & seeptem premit, & fraude decipit, quãdo lubricis motibus serpit, rerum sensibilium oblectationibus interceptos. Sicut scriptum legimus, Intrauit mors per fenestras uestras: quod proprie ad quinquepartitum sensum arbitror redigendũ, uisum, auditũ, odoratũ, tactum, & gustũ. unde Dominus illi mulieri Samaritanæ dicit, Quinq; enim uiros habuisti, & nũc quem habes, non est tuus uir. Quod ibi uiros, hoc hic reges intelligas, quorum tanquam regimine humanæ uitæ primordia regi atq; administrari cognoscimus, quæ nobiscum bestiæ uidentur habere commune. Aut quod ibi sequitur

quitur, Et nunc quem habes,non eſt tuus uir:non legitimo eam uiro uti deſignãs, ideſt errorem,hoc hic fuerit poſitum. Iam dixit,

QVINQVE ceciderunt,unus autem ſupereſt,& alius nõdum uenit.) Quod autem dicit,Alius non dum uenit, reſiduam eiuſdem mali corporis partem decedenti ſucceſſurã generationi, eodem maligno ſpiritu deſignat ſimiliter poſſidendam, quem ſeptiformem conſtare præmiſimus. Quinq; autem,quos cecidiſſe,& unum,quem ſupereſſe dicit,& alium,quem uenturum eſſe nunciat,ſeptem faciunt.

ET quũ uenerit,oportet illum breui tẽpore manere:& beſtia,quæ fuit,& non eſt,& ipſa octauo loco eſt,quum ſit ex ſeptem,& in perditionem ibit.) Hunc quem octauũ dicit,ne alterius generis æſtimares

ſubiecit, Ex ſeptem eſt, & in perditionẽ ibit: ut eiuſdem numeri malignı eum oſtenderet, & ſeptenarium numerum excedendo, illos nequiores in hypocriſim deſignaret. Sicut enim præfato Dominus teſtimonio de uno ſpiritu immundo loquens, ſeptem memorans, repentè ſubiecit, dicens, Aſſumit ſecum ſeptem alios nequiores ſe ſpiritus: ſic nunc à ſeptem incohans, alios ſeptem in uno eiuſdem generis, ideſt octauo, uoluit deſignari. Propterea dicit, Ex ſeptem eſt, & in perditionem ibit: ut eadem pœnã unius generis meritorum perdoceret. Nec immeritò dicit, Ex ſeptẽ eſt, quem octauum quoq; numero ponit. & ſubiecit, Et in interitum uadit: futuro iudicio omnem malorum finiri nequitiam, & dicit qualiter.

ET decem cornua, quæ uidiſti, decem

decem reges ſunt, hi regnũ nõdum acceperunt.) Ipſum ſeculi regnum omne deſignat: quod ſicut paulò antè in regib⁹ ſubiectiſq; deſcribit.

SED poteſtatem regni una hora accipiunt cum beſtia.) Hora hic pro tempore accipi exemplo docetur & ſenſu. A paſſione ſcilicet Domini, ex quo Apoſtolica uoce clamatur, Nouiſſima hora eſt: quamdiu ergo quod futurum eſt, cõſummetur, dicit eos regnũ necdum accepiſſe: quia licet nunc quoq; plurimis dominentur, acrior tamen erit gloriationis eius inſana potentia, quũ etiã ſignis deceperit plurimos.

HI omnes unam ſentẽtiam habebunt, et uim & poteſtatem ſuam beſtiæ tradet.) Quod ſuperius ait, Cũ beſtia, hoc nũc apertius, Poteſtatẽ ſuã beſtiæ tradet, illi ſcilicet capiti, quod quaſi occiſum ſimulatè reui

xit, pari consensu omnem suæ intentionis deferente cultum, & exhibente famulatum.

HI aduersus agnũ pugnabunt, & agnus uincet eos, quoniam Dominus Dominorũ est, & Rex Regum.) Quum partis aduersæ describeret potestatẽ, aptius hic agni uictoriam prędicauit, quem in suis triumphare designans adiecit,

ET quicunq; cum eo erunt electi, & fideles, & uocati.) Benè præmisit Electi, propter quod Dominus dicit, Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi.

ET dixit mihi, Aquas quas uidisti, super quas sedet meretrix illa, populi & turbæ Ethnicorum & linguæ sunt.) Aquis populus sæpius figurari hic facilè perdocetur.

DECEM uerò cornua quæ uidisti, & bestiã quam uidisti, odio in

secta

ſectabantur meretricẽ, & deſertam & nudam facient illam.) Quomodo ſi diceret, corruptiones carnaliũ deſideriorum, quas nunc uelut ipſam diligunt, eis in odium uertuntur, quum circa finem ſe ineuitabili iudicio damnandos agnouerint, manifeſtamq; agni uictoriam uiderint. Beſtiam proinde in parteis diuidit, quod gemino modo intelligi poteſt, ſiue quia ſicut legimus, Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: ſiue Quia omnis, qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Qui enim ſibi nequam, cui bonus erit?

ET carnes eius deuorabunt, & ipſam igne cremabunt.) Quomodo ſi ex perſona Eccleſiæ Angelus diceret, Illi nocentes, qui in me ſurgent, ut edãt carnes meas, ſuas manducabunt, & igne cremabunt. Poſt ea quàm eorum exceſſibus Deus

ad iracundiam prouocatus desolauerit mũdum, ut ipsis propriè blasphemijs hanc uastitatem Angelus succenseret, ipsos dicit facere, quod in ipsis iure contegeret.

DEVS enim in cordibus eorũ iniecit, ut perficiant quod illi placitum est, & esse illos in consensu & metu, & tradere regnum bestiæ, donec consummentur uerba Dei.) Quod Apostolus dicit, Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant, quæ non conueniunt, hoc etiam nunc dicitur. Deus enim cordibus eorum iniecit, ut faciãt quod illi placitũ est. Placita est enim Deo iusticia, per quam nouimus impijs irrogari uindictam, ut qui regnum suum bestiæ dederint, pœnas cum ea iustas exsoluant.

DONEC sermones Dei consummentur.) Qui uidelicet in iu-

dicio

dicio misericordia'que consistunt. Vniuersæ enim uiæ Domini, misericordia & ueritas.

ET mulier quam uidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terrarum.) Illa ipsa est, quam corruptionibus carnis & sanguinis debitam, mundaniq; regni præmisit floruisse potentiam: quæ quum ex ipsis Regibus constet, super eo se iam dicit more suo regnare, unam diuidẽs, eamq; per partes, tãquam à genere ad species; in muliere, in ciuitate, in regionibus, super Reges, super hanc uerba Domini complebuntur, quum & misericorditer redemit suos, & iustè damnauerit contumaces. Vbi autem cõsummationis mentio, ibi tandem huius libri fiat opportuna conclusio.

LIBRI QVARTI

FINIS.

CAPITA LIBRI V.

DE cœlo angelum descẽdisse, cuius potestate magna, et claritate illuminata terra, Babylõ perhibetur fuisse deiecta. I

Tria uitiorum genera cum suis auctoribus notat, idololatriam, gastrimargiam, lasciuiam. II

Cœlesti uoce Dei populũ compellari, ne malorum societate mixtus, aut peccatis constringatur, aut plagis. III

Quomodo eadem Babylonia multis constet significari uocabulis, si ab eis plangi, in quibus prædicitur destrui. IIII

Preciosa quæque, uelut sui necessaria, quæ quinque sensibus hauriuntur, uoluptuosis renũciat profutu

ſutura. V

Lapidem ad magnitudinē molæ angelum memorat ſubſtuliſſe, et in mare miſiſſe, ſubmerſioni Babylonis comparandum. VI

Vigintiquatuor ſeniores, & quatuor animalia Deum aſſerit adorare, faciēdumq; clamare: de nuptijs quoq; agni & mundo byſſino. VII

Angelus ſe à Ioanne prohibet adorari, ſed Deo hoc monet exhiberi. VIII

Equum album, & ſedentem, cuius oculi flammei, in capite diademata, nomenq; in femore, Soli aſſerit cognoſci. IX

Angelum in ſole aues fortiter ad cœnam inuitantem. X

Beſtia equum, ſedētem in equo albo uidetur certamen narrare. XI

Cum catenis angeli de cœlo deſcenſus, à quo diabolus per annos

mille

Quæ

diorum duodecim, et muri eius centum quadragintaquatuor, mensura hominis, quæ est angeli: XXVI

Aedificium ciuitatis ex lapide, iaspide, auro, uitro mundo consistere. XXVII

Duodecim fundamenta eiusdē numeri lapidibus subsistere memorat, & totidem margaritis portas aptari. XXVIII

Templū in ea, Deum, agnumq́; consistere, cuius etiam irradiari iugiter asserit claritatem. XXIX

Flumen aquę uiuæ ciuitatis medio permeare. XXX

De uisione Dei, quæ Sanctis in futuro promittitur. XXXI

Sicut unum Patris & agni thronum, sic etiam nomen frontibus dicit gestari fidelium. XXXII

Fidelium commendatione uerborum, spiritum memorat Propheta

FINIS.

PRIMASII EPISCOPI AFRICANI Commentariorum Liber V In Ioannis Apostoli Apocalypsim.

CAPVT XVIII

ET uidi alium Angelum descẽdentem de cœlo, habentem potestatem magnã, & terra illuminata est claritate eius.) Destructionẽ mundanæ sapientiæ, quam Hiericho quoq; destructa significat. Sed & terreni regni ruinam dicturus magnam, dicit hunc habere angelum potestatem, utpote contra fortem uenisse insinuans fortiorem, & ad pellendũ uerisimile, obumbransq; sapien

ſapientiæ mundanæ ueſtigium, ueram nunc ſapientiæ lucem ueniſſe teſtatur, quæ ſapiẽtibus mundi, terreniſq; Regibus ſuæ uirtutis robore fidentibus, ſe & uirtute & ſcientia monſtraret inuictum.

ET terra illuminata eſt claritate eius, et exclamauit uoce magna fortiter, dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna, et facta eſt habitatio & refugium dæmoniorũ, & omnis ſpiritus immundi, & omnis beſtiæ immundæ, & omnis auis immũdæ & odibilis.) Aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem Magni cõſilij Angelum in Eſaia legimus, ſignificari puto, qui in primo aduentu dicens, Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum: ipſius ſecularis potẽtiæ molimina deſtruet. Illuminata eſt terra à claritate eius, quia ipſe eſt lux

 uera

uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Quod autem ſequitur, poteſt permouere legentem: dicit enim, Et facta eſt habitatio et refugium dæmoniorum, uel cætera. Si enim cecidit, quomodo dæmoniis & ſpiritibus immundis, ac uolucribus habitatio & refugium dicitur extitiſſe: niſi quia multa tranſgreſſionũ immanitate cadendo, dignam ſe dæmonum habitationi præbuerit, in parte utique ſui ſalubri conuerſione deſtructa. & quæ in huius ſeculi mari, contra Chriſti fidem, dira ualidis perſequutionum fluctibus inſurgebat, terminis nũc arctioribus gemit frenata, & in modum utris fremit incluſa. Hinc in Pſalmo, Cõgregans ſicut in utre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos. Nam quæ dudum à Chriſtianis timeba-

tur

tur, ipſa nunc metuit Chriſtianos, quum eorum priuilegio, religioſorum quoq; lata principum decreta militare conſpiciũt, reſidua tamen pars eius facta eſt habitatio & refugium dæmoniorũ. Quocirca quũ & in melius ædificanda deſtruitur, et in ſuperbis deiecta confringitur, iure deſtrui atque ruiſſe narratur. Nam & per uolucres, ſpiritales nequitiæ ſignari, ille quoq; libri Geneſeos locus affirmat, ubi inter diuiſiones carnium, irruentes aues Abraham dicitur abegiſſe.

QVIA de uino fornicationis eius, & Reges terræ fornicati ſunt, & mercatores terræ de poteſtate deliciarũ eius locupletati ſunt.) Tria hic uitiorũ genera, totidemq; præuaricatorũ perſonas inducit. Auariciam, quæ iuxta Apoſtolum, idolorum ſeruitus dicitur. Laſciuiam,

in nomine fornicationis, & in delicijs gastrimargiam, quam Dominus cauendam præmonens dicit, Non grauentur corda uestra à crapula & ebrietate. Et Reges, inquit, terræ cum ea fornicati sunt. Auaricia enim, in eo quod dicit, Mercatores locupletati sunt. Gentes, permixtam uulgi ignobilis multitudinem designauit. Licet quidam hic diuites, peccatis, non facultatibus æstimare maluerint. Reges uerò, qui inter eos temporaliter uidentur excellere. Mercatores, quoniam terrenis lucris inhiantes, pro abũdantia temporali, suas infelici mercatu animas commutant, contraria dictis Domini peragentes, qui dicit, Quam dabit homo commutationem pro anima sua?

ET audiui aliam uocem de cœlo, dicentem.) Vocis cœlestis audi-

tus, ille est quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, & nouit Dominus, qui sunt eius, uel his similia. Sequitur denique, Exi de ea populus meus, & ne particeps sis delictorum eius. Hucusque ad primum mihi pertinere uidentur aduentum, quando usq; ad seculi finem sic permixtos sibi boni tolerãt malos, ut pro eis nec bonos se timent deserendos, nec ipsos noxia imitatione sectandos. Sic enim & illud propheticum adimpletur, Exite de medio eorum, & in mundum. Quum non utiq; discessu corporis, sed dissensu æquissimæ uolũtatis, rectus non commiscetur prauis. Sequitur,

ET ne perstringaris plagis eius, quoniam delicta eius usque ad cœlum peruenerunt, & meminit Dominus Deus iniquitatum, & ideo

reddidit ei duplicia, & in quo poculo miscuit, duplum remixtum est ei, & inquantum se clarificauit, & deliciarum habuit, intantum datur ei cruciatus & luctus, quoniam in corde suo dicit, Quia Regina sum, & uidua non possum esse, nec luctum uisitabo: propterea una hora plagæ eius aduenient, mors, & luctus, & fames, & igne cremabitur: quia fortis est Dominus, qui eam iudicabit.] Hæc omnia secundo quidem futura creduntur aduētui conuenire, quando examine supremi iudicij societas impiorũ, exclusa retributione iusta plectetur, ut qui temporaliter peccauerunt, in perpetuum puniantur. Hoc est enim quod ait, Reddidit ei duplicia, & duplum remixtum est ei, ut qui transitorijs delicijs fruebatur, tormentis crucietur æternis. Ex his usuris

ſuris ſuos Chriſtus liberare Pſalmo præcinitur, Ex uſuris & iniquitatibus, inquit, redemit animas eorũ. Illi uerò igni inſuper perpetuo cõburi dicuntur, fame affligi tunc utique, quando illi, qui nunc eſuriunt ſitiuntq́ iuſticiam, ſaturitatem percipiunt incorruptam. Mors uerò, eo quod eos deſerat Deus. Sicut enim anima diſcedente, moritur corpus, ſic anima Deo deſerente, mori credenda eſt. Luctus porrò ille eſt, quem Chriſtus in Euangelio dicit, Væ uobis qui ridetis, quoniam lugebitis & flebitis. Ab his plagis ſuos Deus uolens indemnes oſtendere dicit, Et ne perſtringaris plagis eius: ac ſi diceret, quorum uoluntatem cõuerſi habere noluiſtis, in peccatis ſimilem parem non recipietis ultionem. Neque enim noſtris uiribus eaſdem poſſumus pla-

gas euadere, quum nobis hoc ſolo Dei beneficio concedatur. Sed rectum ordinem tenens Spiritus ſanctus uoluit declarare, illos qui impietatis in corde non captiuantur aſſenſu, nullatenus impiorum perſtringi tormentis. Iuſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, & non tangit illos tormentum maliciæ, ſic autem hæc, quæ tunc futura ſunt, circumſcribũtur, ut opera expreſſerit inferẽdaq́ʒ ſupplicia: non tamen ſeculi huius putanda ſunt finalia, mox futura curricula, ſicut ex ſubſequentibus approbatur. Nam & Dominus contritionẽ mundi prædicẽs ſubiecit, Sed non ſtatim finis.

ET flebunt, & plangent ſe Reges terræ, qui cum ea fornicati ſunt & in delicijs conuerſati, quum uiderint fumum incendij eius, & de longinquo ſtantes propter metum pœ

næ eius, dicentes, Væ, uæ ciuitas illa Babylon, ciuitas illa fortis, quia una hora uenit iudicium tuum: & mercatores terrarũ plangẽtes eam, quoniã merces eorum nullus mercabitur amplius.] Quomodo ſit certum, eandem Babyloniam diuerſis ſignificari uocabulis, & ſiue ex Regibus terrę, ſiue ex gentibus, ſiue ex mercatoribus exiſtere, ſi ipſa ſuccenſa, illi dicũtur à longe conſequenter ſtare, eaq; non communem dolendo cruciatum, ſed libera conſideratione, & dolendo miſerabiliter deplorare: niſi quia ut præmiſi, aut non hic omnimodo iam mũdi finem debemus accipere, ſed diminutionem rerum humanarũ, & contritionem gentium diuerſarum. Seculariũ quippe diuitiarum pompam dicit auferri, per quam prauis uoluptatibus adimplendis

circum

circumfluēs carnalium deliciarum opportuna quodammodo importunitate suffragabatur occasio, qua ablata per defectum & desolationem, Diuinis mundo iudicijs irrogatam, cæteri superstites aliorum perhibentur interitum plangere. Ideo dicuntur à longe stare, & metu pœnæ similis formidare. Fortassis enim ad hoc pertinet, quod fumum incendij eius uidere dicūtur, tanquam speciem ignis æterni. Fumus enim, futuris dat flammis indicium. Narrat proinde, si qua humanis usibus necessaria, si qua secularibus nouit utilitatibus, cupidis atque carnalibus magnopere concupisci: sed & illa quæ notissimis quinque sensibus carnis, delectabiliter nouit haurire: eaq; prænunciat de futuro hoc modo,

MERCES auri & argenti & lapidum

pidum preciosorum & margaritarum & serici.) Hucusque de utilitate lucrorum.

ET purpureæ & coccineæ uestes, & omne uas ligneum & uitteum, & omne uas eburneum, & de precioso ligno & æreo & ferreo & marmoreo.) Hucusque etiam ad sensum pertinentia memorat oculorum. Dehinc quod ad olfactum pertineat, sequitur,

ET cynamomum & incensum & unguentum.) De unguento etiam tactum interserit.

ET thus.) Proinde quæ ad gustum redigantur & uisum, dicens,

ET uinum & oleum & triticum, iumenta porrò & pecora & equi & uehicula, atque mancipia, & diuersi generis animalia.) Vtilitatis causa ponit.

POMORVM quoque tuorum,

cum

cum concupiſcentia animæ, abijt abs te.) Hoc quoquè ad aſpectum redigit & guſtum.

ET omnia illa pinguia & præclara peribunt à te, nec iam ea ultrà inuenies: mercatores quoq; tui, qui diuites facti ſunt, ab ea longè ſtabunt, propter timorem eius flentes & plangentes & dicentes, Væ, uæ illa ciuitas magna, uelata purpura & byſſino, & culta auro & lapide precioſo & margarita, & una hora exterminatæ ſunt tantæ diuitiæ.) Horam hic pro tempore poni, multorum teſtimoniorum probatur indicijs.

ET omnis gubernator, & omnis ſuper mare nauigans, & nautæ, & quicunq; morantur in mari, longè ſtabunt, uidentes fumum incendij eius, dicentes, Quæ ſimilis huic ciuitati magnæ? & ſuper capi

ta sua mittentes puluerem.) Ideſt Principum ſuorum faciem exprobrãtes, à quibus ſeducti periebant.

ET clamabunt flentes & lugentes uoce magna, Væ, uæ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes, qui habent naues in mari, de claritate eius, quia una hora exterminata eſt.) Verum quia multos ex hac contritione nouimus ſæpe compungi, ſi à Deorum perſona in ea loca quibus permouemur, redigi debent, non incõuenienter accipitur: ideſt longe ſtabunt, et clamabunt, uidentes fumum incendij eius, ut longè ſtare ſit, nõ cum perditis cadere, ſed ſubdita potius conuerſione ſtabilitatem accipere. Propterea Suo Domino ſtat, aut cadit: quod non loco corporaliter ſtare, ſed animi debet intelligi ſtabilis in fide conuerſio, ut & quod ſe plangere

gere dicuntur, aliĳs pereũtibus ipsi pœnitentiã intelligantur gerere fructuosam. Hinc enim Apostolus dicit, Quum mortui essetis delictis & peccatis uestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secũdum principem potestatis aeris huius spiritum, qui nunc operatur in filios diffidentię: in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderĳs carnis nostræ, facientes uoluntates carnis & cogitationum, & eramus natura filĳ iræ, sicut & cæteri, uel his similia. Secundum hæc, inquam, Apostoli dicta, potest hic locus cõuersorum personæ aptari. Non enim quis inueniri potest bonus, qui prius non fuerit malus. Hinc Psalmista, Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ: fortasse deinde sic sequitur, Exultate super

eam

eam cœli,& Sancti,& Apostoli,& Prophetæ, tanquam isti conuersi super iudicia Dei gaudeant delectati.

QVONIAM iudicauit Deus de ea iudicium uestrum:& sustulit angelus fortis lapidem ad magnitudinem molæ magnę & misit in mare. dicens, Hoc impetu demolietur Babylon illa magna, et amplius nō inuenietur.) Nouimus Dominum in Euangelio dixisse, Væ mundo à scandalis. Et subiecit, Væ autem homini, per quem scandalum uenit, utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proĳciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis: significans auctores scādali tali pœna plectendos, ubi non de solo scandalo litis puto accipiēdum, sed de omni spetie peccatorum, secundum illam re

gulam, quam ſancta Scriptura frequentat, ſiue Domino dicente, Si ſcandalizauerit te oculus tuus, uel manus: ſiue Paulo Apoſtolo, Quis ſcandalizatur, & ego non uror: cui conſono Pſalmus ſenſu concinit, dicens, Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem: ubi etiam malæ credulitatis de Chriſto & Eccleſia, ideſt de Sole & Luna, intellectus admittetur. Vel de peccatis aduerſitatis & proſperitatis, quod ad Lunam referendum eſt, uel ad Solem, omnes tanquã in genere tranſgreſſionum ſpecies, nomine ſcandali uidetur includi: quod hic quoquè autores ſcãdali, ideſt totius peccati, ad modum molæ mergendo inſinuat. Lapis uerò molaris hic pro peccatorum pondere, qui ex rebus temporalibus contrahuntur, poni mihi uidetur. Molam enim in ſecu

larium

larium rerum circuitu poni Dominus docet, quum dicit, Duæ molentes in mola.

ET uox citharœdorum & musicorum & symphonicorum & tibicinum iam non audietur in te.) De illis quinque sensibus sonum distulerat, quem nunc satiãter expressit, quem etiam inter alia de mundo auferri prædixit, ac si diceret, Quid uisu pulchrum, auditu canorum, tactu blandum, odoratu suaue, gustu delectabile, de seculo transiturum est? Et ne his contentus esse siluisset, adiecit etiam de his, quæ ad usum humanæ uitæ pertinent, dicens,

NEQVE ullus artifex ullius artis inuenietur in te amplius, & uox molæ non audietur in te iam, neque lumen lucernæ lucebit tibi, & uox sponsi & sponsæ non audietur in

te amplius.) Et dicit quo merito.

QVIA negociantes tui fuerunt magistratus terræ, quia in maleficijs tuis etiam errauerunt omnes gentes.) Ac si dixisset, Quia in uita tua male usa es temporalibus bonis, & ipsis iustè ultrò fraudaberis, & pœnis æternis damnanda restringeris.

ET in te sanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus est, & omnium occisorum super terram.) Hic apertius declaratur, totum in una ciuitate Babylonia corpus diaboli de suis excessibus increpari. Neq; enim in qua ciuitate Prophetas, in eadem nouimus occisos martyres, quantum attinet ad loci significationem, quum tamen una sit ciuitas ad impiorum societatem. Sequitur,

Caput

CAPVT XIX.

POst hæc audiui uocem tubarũ ingentium, clamantium uoce magna in cœlo, dicentium, Alleluia, ſalus & claritas Deo noſtro, quoniã uera & iuſta ſunt iudicia eius, quia ſic iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram per fornicationem ſuam, & uindicauit ſanguinem ſeruorum Sanctorum ſuorum de manibus eius: & iterum dixerunt, Alleluia.) Simile quiddam in Euãgelio Dominus teſtatur, Scriptura dicente, de primi temporis perſona, iuſtorum generaliter ſanguinem exigendum, A ſanguine, inquit, Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, populorum ſcilicet & ſacerdotum inſinuatam cõplectens breuiter ſummam. Ideo ibi & locum memorat,

Quem occidiſtis, inquiẽs, inter templum & altare. Templum, ad populum: altare, ad ſacerdotes redigens. Quod autem iterum dixerunt, Alleluia, Eccleſia Domini ſuper iudicijs eius, indeſinenti effectu collaudat. Alleluia enim dicitur, Laudate Dominum. Sequitur de illa meretrice,

ET fumus de illa aſcendit in ſecula ſeculorum.) Eccleſia ſcilicet perſeuerante in illius laude lætitiæ, perditionis fumus permanet impiorum. Sicut enim in fumo, ignis initia: ſic igne perſeuerante, fumum dicit ineſſe. Horum ſpeciem bonorum atque malorum, in paupere & diuite Dominũ arbitror figuraſſe.

ET proſtrauerunt ſe uigintiquatuor ſeniores, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum.) Eccleſiam

ſiam memorat. Sequitur,

DICENTES, Amen.) Ideſt uerum, fideliter.

ET uox de cœlo exiuit, dicens, Laudate Deum ueſtrum omnes ſerui eius, & qui timetis Dominum, magni & puſilli.) Quum hoc imperat faciendum, & memorat factum, illius rei dat indicium, quod ſuorum laudem placitam ſuſciperet electorum, approbans ſcilicet pręmiſſam, indicensq; perpetuam. Magni ſunt in Eccleſia, de quibus Apoſtolus, Sapientiam (inquit) loquimur inter perfectos. Et Dominus, Qui fecerit et docuerit (inquit) ſic homines, Magnus uocabitur in regno cœlorum. Puſilli, de quibus dicitur, Tanquam paruulis in Chriſto, lac uobis potũ dedi, non eſcam.

ET audiui uocem tubarum magnarum, & quaſi uocem tonitruo-

rum magnarum, & quasi sonus aquarum multarum, dicentium Alleluia.) Tubis illa prædicatio designatur, quam Esaias dicit, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, in qua prædicatione insinuatur etiam Diuini fortitudo iudicij. Hanc puto nomine significari tonitrui, quæ quoniã hominibus congruunt, idcirco aquis multis populos certum est solitę figurari, qui Deum laudant, dicentes Alleluia. Ecclesia itaq; quum & prædicat & metuit & laudat cum timore, et exultat cũ tremore: sicut legitur, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

QVONIAM regnabit Dominus noster omnipotens.) Rectè hic omnipotentiæ eius meminit. Fecit enim ex nihilo, quæ non erãt, quæsiuit qui peccato perierant, inuenit

puni

puniendos, & ex eis quos uoluit, fecit misericorditer iustos. Ex his deniq;, tanquam ex membris sibi Ecclesiam construens, tali redempta dignitate donauit, ut eam sibi sponsam faceret, quũ nec serua esse meruit. Sequitur,

NANQVE gaudemus, & exultemus, & demus ei claritatẽ, quoniam uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius pręparauit se, & datum est ei, ut uestiretur byssinum cãdidum mundum.) Byssinum enim mundum, iusticiæ Sanctorũ sunt. Hæc omnia electorum Ecclesiæ conuenire nullus ambigit spiritalis. Illi sanè eius se dicuntur spiritali coniugio præparare, qui operibus iusticiæ maluerint semper insistere.

ET ait mihi, Scribe, Beati, qui in cœnam nuptiarum magni uocati sunt. De hac Dominus dicit, Re-

cumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. Itemq́;, Transiens ministrabo eis: illos uidelicet significans, qui secundùm propositum uocati sunt, & in plenitudinem transeunt electorum. Multi enim uocati sunt, pauci uerò electi.

ET iterum dicit mihi, Hæc uerba ueracissima sunt Dei.) Tunc Ecclesiæ Diuinitus dicitur, quãdo uerbũ Dei, eademq́; ueritas reuelatur.

ET prostraui me ad pedes eius, ut adorarem eum, & ait mihi, Vide ne feceris, quoniam conseruus tuus sum & fratrum tuorum, habentium testimonium Iesu Christi, Deum adora.) Licet in principio huius Libri dixerim, per assumptam Angeli creaturam, Dominũ Christum Ioanni omnia reuelasse: quod hic maximè claret, quum se adorare non sinit, ut Deum, sed potius

tius monet reputari conseruum, unumq́ Deum perdocet adorandũ. Potest tamen permouere legẽtem, quod etiam illud dicit, Ego sum pri mus et nouissimus, Sed hoc et Chri sti persona Angelum dixisse notemus. In fine denique dicit, Ego Iesus misi Angelum meum testificari uobis ista in Ecclesiis. Sequitur, Sãctificatio enim testificationis est spiritus Prophetarum: omnis quippe summa Prophetiæ & sanctificatio spiritus in testimonio Iesu Christi consistit, cui omnis Lex & Prophetia deseruit: propter quod & in monte se manifestans inter Moysem & Heliam, uultus uestis suæ claritate resplenduit, seq́ testimonium à Lege & Prophetis habere, ueraciter declarauit. Si quid enim prænũciauerunt Christo & Ecclesiæ famulari, ipse testatur, dicens de

Moy

Moyſe, De me enim ille ſcripſit. Nam & reſurgens, Neceſſe eſt, inquit, implere omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me. Nam quæ ibi fortaſſe uidentur Chriſti nec ſonare, nec ſignificare myſteria, ad hoc interſeruntur, ex quibus omnes Scripturæ illius ſeries dicēti inſtrumento conſurgens aptius conſtruatur. ſicut in organo, non quicquid tetigeris ſonat, ſed reſonabilis locus neceſſariæ modulationis exerat cantū, utero ligata deſeruit omnis illorum inſtructura uaſorum. Deinde latius præmiſſa breui recapitulatione retexet.

VIDI cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, uocabatur Fidelis & uerus.) Hic quem ſuperius dixerat, debitam uictoriæ percepiſſe coronam.

Aequum

AEQVVM iustumq́ iudicat, & præliatur.) Iudicat, ut Rex omnium seculorum: & præliatur, qui in suis semper membris compatitur. Dimicat quum uincit, seipso coronæ se uirtutem certantibus præbens, quem pollicetur uincentibus præmium.

OCVLI autem eius erant, ut flāma ignis, & super caput eius diademata multa.) In quo faciemus uirtutem in idipso, multitudo Sanctorum, coronarum dicitur habere decorem.

ET habens nomen magnum scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse.) Verbi Dei perfecta cognitio illis manifestatur, qui corpus Christi & membra esse meruerint, utpote corpori caput, notitiam sui specialiter tribuat: ipse nouit, quod Ecclesia in ipso scire meruerit, Qui e-

nim

nim adhæret Domino, inquit Apostolus, unus ſpiritus eſt. Erunt enim duo in carne una. Hoc nomen nec Iudæi, nec alienigenæ, nec hæretici cognouerunt. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Itemq́; Mundus, inquit, non cognouit te. Suisq́; rurſus diſcipulis dicit, Vos autem uidebitis me, quia ego uiuo, & uos uiuetis: in illo die uos cognoſcetis, quia ego in Patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Vnde etiam à diſcipulis reſpondetur, Domine, quid factum eſt, quia nobis manifeſtaturus es teipſum, & non mũdo? Quod autem attinet ad hæreticos, idem rurſus dicit eis, Vobis datum eſt ſcire myſterium regni Dei, quoniam quæ nunc facta ſunt, in parabolis omnia fiunt, ut uidentes uideant, & intelligentes intelligant. Habens

bens nomen magnum ſcriptum, quod nemo nouit, niſi ipſe. Cauendum ſanè eſt, ne carnali prudentia ſubrepente, nomē Filij, de quo nūc agitur, aut Patri, aut ſancto Spiritui putetur incognitum: ſed potius huius loci opportunitatē nacti, uſitatè Scripturæ loquutionē hoc ex more norimus expreſſam. Quod ſi quid ſolus Filius noſſe dicitur, omnis prorſus Trinitas ſcire doceatur. Sicut et ſi quid Pater ſolus ſcire narratur, cum ſua proculdubio ſapientia, quod eſt Chriſtus, uel cum ſuo Spiritu, qui Patris & Filij ſpiritus creditur, noſſe probetur. Nam quū diem iudicij ſolus Pater noſſe perhibetur, ſcire profectò & Filius & Spiritus ſanctus non negatur. Sic etiam quum Spiritus ſanctus ſolus aliquid ſcire dicitur, & per ſimilem loquutionis modum Patris nomi-

ne, uel Filij reticetur. Scire tamen modis omnibus declaratur, ut ubi Apoſtolus dicit, Nemo hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: ita & quæ in Deo ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei, à qua ſcientia aut Patrē, aut Filium ſeparare dementis eſt. Neque enim quia alibi dicit, Nolite cōtriſtare Spiritū ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis ueſtræ, quia Patrem & Filium ſiluit, ideo eorū perſonam ab opere noſtræ redemptionis excluſit, quum ſuper diuiduam unius Naturæ potentiam inſeparabilia doceant opera Trinitatis. Nam quod in Euangelio dicit, Diem iudicij neque Filium, ſed Patrem ſolum ſcire, Illa regula loquutionis hoc dicitur, qua ſciendo aliquid facientes facit, & neſcientes effecit ne ſciendo.

ſciendo. Quocirca per inſinuatam intelligētiæ regulam, nomen Filij, quod illi ſoli cognitum & Patri & Spiritui ſancto, cognoſcimus manifeſtum. Nam de Filio hic dici, euidens cōſequētia proteſtatur, quum dicit,

ET erat coopertus ueſte ſparſa ſanguine, & dicitur nomen eius Verbum Dei.) Si nulli eius nomen noſſe conceditur, cur apertè Verbum Dei nunc prædicatur? Sed ſicut legimus, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Vt ſic intelligamus, quòd ſi quis membrorum aſcēderet in ipſo capite, & per ipſum meretur aſcendere, qui hoc ſuis membris & ſperare dedit promittēdo, & poſſe dabit implendo, ita & hic ſolus noſſe Chriſtus dicitur, quod eius ſponſæ in ipſo ſcire

concedītur, per quem & in quo Ecclesia perdocetur. Sparsam porrò dicēs sanguine uestem Christi, passionis eius indicia describuntur: siue in se capite, siue in corpore, quod est Ecclesia. Hinc Apostolus ad Hebræos docet, Et ab initio sine sanguine remissionem peccatorum, non celebrari in illis legalibus pecorū uictimis. De Ecclesia quoquè dicit, ut adimpleam ea, quæ desunt passionū Christi in carne mea, memor uocis auditæ, Saule, Saule, quid me persequeris? Quicquid enim Ecclesia patitur, Christus pati ueraciter dicitur, de quo idem Paulus dicit, Semel passus est ad multorum exhaurienda peccata. Huius uestis sic Esaias quoq; habitum memorat, Quis est iste, qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in

multitudine fortitudinis ſuæ, ego qui loquor iuſticiam, & propugnator ad ſaluandum. Quare ergo rubrum eſt ueſtimentum tuum, & ueſtimenta tua, ſicut calcãtium in torculari: torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt uir mecum, &c.

ET exercitus qui ſunt in cœlo ſequebantur eum in equis albis.) In cœlo Eccleſiæ, tanquam reuelata facie gloriã Dei ſpeculantes, omnes mundi corde. Super niuem gratiæ dealbati, Chriſtũ ſequi dicũtur.

INDVTI byſſinum album, & mundum.) Quod ſuperius iuſticias definiuit Sanctorũ, qui quum ſua unicuiq; diſtribuunt, corpusq; animo, & animum Deo ſubijciunt, equis albis, ideſt corpore & mente candidi, ſemper incedunt, præcedentis Chriſti ueſtigia ſequentes, cui in Cantico canticorum dicitur,

Post odorem unguentorũ tuorum currimus.

ET de ore eius exiebat gladius ex utraq; parte acutus, ut ex eo percuteret nationes, & ipse reget eos in uirga ferrea.) Vtrinque acutus, siue aciem gemini Testamẽti significat, siue quod de Sapientia legimus, Legem & misericordiam in lingua portat, tanquam iudicium & misericordiam. Virga autem ferrea, iusticiæ inde immutabilis rectitudo.

ET ipse calcabit torcular uini iræ Dei magni omnipotentis.) Sicut accedente tritura exuta paleis, frumẽta in horreis recluduntur, sic in torculari pondere depressionis adhibito, aut uinum à uinacijs, aut oleum ab amurca de more perspicaciter relinquatur. quod de uinea Propheta describens dicit, Et torcu

lar

lar fodi in ea: hoc fit Ecclesia, quum aut aduersitate persequutionis exorta, aut occasione alicuius calamitatis commota, alij tanquam amurca corruũt, irremediabili lapsu praecipites, alij probati cultu enitent clariores.

HABET etiam in ueste & in femore suo nomen scriptum, Rex Regum & Dominus Dominorũ.) In ueste, in Ecclesia, qua Christus induet Ecclesiam, & iuxta Apostolum, mundabit lauacro aquæ in uerbo, ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam: ut uestis enim mundatur, ne maculam incurrat, extenditur, ne rugam contrahat. Sed & femore illius, posteritas seminis designatur, in quo benedicẽtur omnes gentes, iuxta Apostolũ, docentem, Non dixit In seminibus,

tãquam de multis, ſed quaſi In uno ſemine tuo, quod eſt Chriſtus: cui tanquam mortuo fratri, ſecundùm uetuſtæ conſuetudinis legẽ, ſemen ſpiritaliter idẽ Apoſtolus ſuſcitans dicit, Ne quis dicat, quia in nomine meo baptizati eſtis. Quum ab Hieruſalem uſq; in Illyricum ſe dicat omnia Euãgelio repleuiſſe, quibus gentibus ueraciter diceret, in Chriſto Ieſu per Euangelium ego uos genui. In hoc ergo femore, tanquã in filijs propagatis, Chriſti notitia non atramento, ſed ſpiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus ſcribitur, qui eum Regem Regum & Dominum fatentur omnium dominorũ: quibus hæc ſcriptio femoris deputatur credentibus in eum, & benedicentur cum fideli Abraham.

ET uidi unum angelum ſtantem

tem in ſole.) Angelum Eccleſiam prædicantem dicit. Rectè ſanè adiecit Vnum. Vna eſt enim columba mea, propter ſeruandæ unitatis myſterium. In ſole, ubi iam clareat, nec propter metum ulterius lateat.

ET exclamauit uoce magna.) In magna uoce, libertas intelligenda eſt magnæ fiduciæ.

DICENS omnibus auibus cœli.) Aues, pro locorum qualitatibus aliquando male intelliguntur, aliquando bene. Hic ſanè ſicut dudum aquilæ uolantis ſpecies inducitur, ita ſpiritales nunc inuitantur ad cœnam. De qua Petro, qui præſentis Eccleſiæ geſtabat figuram, dicebatur, Macta, & manduca. Quũ occidũtur quod fuerunt, ut fierent quod ipſe: ideſt fideles, & in corpus tranſeũtes Eccleſiæ, membris Chriſti complantati conregnando. Scri

ptum est, Si quid enim manducamus, in corpus nostrũ traĳcimus.

VENITE ad cœnam magnã Dei, ut edatis carnes Regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, & carnes equorum & sedẽtium super eos, & carnes omnium liberorum & seruorum & pusillorum & magnorum.) Equorum & sedentium intelligi potest, pręposítorum quidem errores, & eorum quos seducebant antè fallacĳs, eo quod de eorum quoquè numero conuersos suscepit Ecclesia. Liberos, cœlibatum tenentes: seruos, coniugatos: pusillos, promiscuum & ignobile uulgus: magnos, aut Philosophos, aut uel genere uel facultate sublimes.

ET uidi bestiam.) Idest diabolum.

ET Reges terræ, & exercitus eorum

eorum collectos ad faciendum bellum cum ſedente ſuper equum album, & cum exercitu eius.) Cum Chriſto & Eccleſia præmiſſa ſimilium expoſitione locorũ, hic quoq; poteſt locus agnoſci.

ET apprehenſa eſt beſtia cum illo pſeudopropheta.) Diabolus & antichriſtus, uel præpoſiti, totumq; corpus eius, qui fecerat ſigna ſub oculis eius, quibus ſignis ſeducti erant.

ADORARE imaginẽ beſtiæ, & qui acceperant characterem illius, miſſi ſunt iſti duo in ſtagnum ignis ardentis igne & ſulphure.) Duo, caput & corpus, diabolus eiusq; ſocietas, præoccupata narratione quid adhuc extremo futurũ eſt tempore.

ET cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum album, qui ex-

ſerat de ore eius.) Vnum corpus diuiſit in parteis, uolens oſtendere etiã pridem mortuos, & illos quos uiuentes Chriſti inueniet ſecũdus aduẽtus. Sicut legimus, Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.

ET omnes aues ſatitatæ ſunt ex carnibus eorum.) Non uſque adeo debemus carnaliter ſapere, ut Sanctos, tanquam carnibus impiorum ſatiari credamus, ſed reuelata Sanctis Diuina æquitate iudicij, qua plenitudinem redimens electorum, damnandos cæteros ſanxerit. Saturari dicuntur huius cognitione iuſticię, quam in hac uita eſurire & ſitire quis poterit, perfectè comprehendere. Nam & Eſaias de impijs loquẽs, Et erunt, inquit, uſque ad ſatietatem uiſionis omni carni: hãc

puto

puto ſaturitatem hic poni auium præmiſſam. Nam & Apoſtolus quoq; fatetur hic, ſe necdum percepiſſe dicens, non quod iam perciperem, aut iam perfectus ſim. Sequor autem, ſi & comprehendam, in quo & comprehēſus ſum à Chriſto. Non itaq; eorum damnatione gaudebunt, ſed quod Diuinæ iuſticiæ luce ſatiati iam gaudeant. Aliter, poſſunt & in malo aues intelligi, angeli tranſgreſſores, qui quum ſuos ad interitum perduxerint ſectatores, malo deſiderio expleto, ſatiari dicũtur carnibus perditorum, de eorum captãtes damnatione ſatietatem, quibus ſe autores præbuerant ad errorem.

CAPVT XX.

ET uidi angelum deſcẽdentem

de

de coelo habentem clauem abyssi, & catenam in manu sua, & tenuit draconem illum serpentē antiquū, qui cognominatus est diabolus, & Satanas, & adligauit eum mille annis.) Angelum de coelo descendentem, Dominū nostrum Iesum Christum accipimus, qui Magni consilij Angelus nūcupatur, quiq; mortalium uisitans regionem, fortior alligare ualuit fortem, ut eius uasa, quæ dudum iræ fuerant, uasa misericordiæ perfecisset. Hoc peragens opere, quod antè promiserat prædicatione, Nemo, inquit, potest domum fortis intrare, & uasa eius diripere, nisi prius colligauerit fortem, idest diabolum. Claues abyssi, est iudiciorum profunditas Diuinorum. Iudicia enim Dei abyssus multa. Soli quippe cognitum est, qui de multitudine peccatorum in

pleni

plenitudinẽ uocandi ſunt electorũ. Hinc alibi legimus, Qui clauſiſti abyſſum, & ſignaſti ſuper eum. In eo autem diabolum catenis dicitur alligaſſe, in quo eius poteſtatem à ſeducendis hominibus, qui liberandi fuerãt, cohibens refrenauit. Mille autem anni duobus modis poſſunt intelligi, aut quia in ultimis annis mille iſta res agitur, ideſt ſexto annorum miliario, quantumcunq; uſq; ad finem ſeculi proteletur: cuius nunc ſpacia poſteriora uoluuntur, ſequuturo deinceps ſabbato, quod non habet ueſperam, requies ſcilicet Sanctorum, quę non habet finem: ut huius miliarij, tanquam diei nouiſſimam partem, quæ remanebit uſq; ad terminum ſeculi, mille annos appellaret, eo loquẽdi modo quo pars ſignificatur à toto. aut certe mille annos pro annis omnibus

bus huius seculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa tẽporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarij numeri quadratum solidum reddit: decem quippe decies ducta, fiunt centum: quæ iam figura quadrata, sed plana est: ut autẽ in altitudinẽ surgat, & solida fiat, rursus centum decies multiplicantur, & mille sunt. Nec illud melius intelligitur, quod in Psalmo legitur, Memor fuit in seculum Testamẽti sui, quod mandauit in mille generationes, idest omnes.

ET misit illum in abyssum.) Vtiq; diabolum misit in abyssum, quo nomine significatum est multitudo innumerabilis impiorum, quorum malignitate aduersus Ecclesiam Dei, multũ profunda sunt corda: non quia ibi diabolus antè non erat, sed ideo illuc dicitur missus

ſus, quia excluſus à credentibus plus cœpit impios poſſidere, qui non ſolum alienãtur à Deo, uerum etiam gratis odiunt, ſeruiẽtes Deo.

ET clauſit & ſignauit ſuper eum, ut non ſeduceret iam gentes, donec finiantur mille anni. Clauſit ſuper eum, dicit, Interdixit ei, ne uetitum tranſgredi ulterius præſumpſiſſet. Signauit autem, quod addidit, quia occultum eſt, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non. Aliquanti enim de teſtabilibus cadunt, & de reprobis certi, fructuoſa compuncti conuerſione ſaluantur. Ab eis autem gentibus seducendis, huius interdicti uinculo & clauſtro diabolus prohibetur, atq; cohibetur, quos pertinentes ad Chriſtum ſeducebat antea, uel tenebat. Hos enim Deus elegit, ante mundi cõſtitutionem eruere de po

teſtate

testate tenebrarum, & transferre in regnum Filij dilectionis suæ. Sicut Apostolus dicit, Nam seducere illum gentes etiã nunc, & secum trahere ad æternam pœnam, sed non prædestinatas in æternam uitam, quis fidelis ignoret? nouit enim Dominus, qui sunt eius, ex his in æternam damnationem neminem ille seducit. Ad hoc enim ligatus est diabolus, & inclusus in abysso, ut iam non seducat gentes, ex quibus constat Ecclesia: Gentes antè seductas tenebat, antequàm essent Ecclesia. Neq; enim dictum est, ut non seduceret aliquem, sed ut nõ seduceret, inquit, iam gentes, in quibus Ecclesiam proculdubio uoluit intelligi. Donec finiantur, inquit, mille anni: idest aut quod remanet de sexto die, qui constat ex mille annis: aut omnes anni, quibus deinceps hoc

seculum

ſeculum peragēdum eſt. Donec autem ſic interpoſuit, non quod poſt ea ſit ſeducturus eas duntaxat gentes, ex quibus prædeſtinata conſtat Eccleſia, à quibus ſeducendis ille eſt uinclo clauſtróque prohibitus: ſed aut illa loquutione dictum eſt, ſicut in Pſalmo, Sic oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Neq; enim quū miſertus fuerit, ad Deum ſeruorum oculi ultrà non eſſe putandi ſunt. Aut certè iſte eſt ordo uerborum, et clauſit & ſignauit ſuper eum, donec finiantur mille anni, ut non ſeduceret omnes gentes, id eſt, ideo clauſit, donec finiantur mille anni, ut non ſeduceret iam gentes.

POST hæc oportet eum ſolui breui tempore.) Si hoc eſt diabolo ligari & includi, Eccleſiam non poſſe ſeducere, hoc ergo erit ſolutio

 eius

eius, ut possit, absit. Nunquam enim ab illo Ecclesia seducetur praedestinata, electa ante mundi constitutionem, de qua dictum est, Nouit Dominus, qui sunt eius. Sed alligatio diaboli est, non permitti exercere totam tentationē, quam potest uel ui uel dolo, ad seducēdos homines, in partem suam uel cogendo uiolenter, fraudulenter'ue fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non uult, & fideles deiecerit. Alligatus est, tunc autem soluetur, quando & breue tempus erit: nunc tribus annis, & sex mensibus legitur totis suis, suorumq; uiribus sæuiturus. Et tales erunt, cum quibus belligerandum est, ut uinci tanto eius impetu insidijsq; non possint. Si autem nunquam

quam solueretur, minus appareret eius maligna potentia, minusq́; ciuitatis probaretur fidelissima patientia. Minus deniq́; prospiceretur, quàm magno eius malo, tam benè fuerit usus omnipotens Deus. Hęc autem colligatio diaboli, nō solum facta est, ex quo cœpit Ecclesia, prę ter Iudæam terram in nationes alias dilatari, sed etiam nunc, fletusq́; ad terminum seculi, quo soluēdus est. Quia & nunc homines ab infidelitate, in qua eos possidebat, conuertuntur ad fidem, ille stagno mortis alligatur, quando ab eo uas eius eripitur.

ET uidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est eis.) Quū dixisset, alligato diabolo per mille annos seducendi ademptam fuisse solitam potestatem, eiusq́; solutionem futuram breui tempore

prædixit: tunc recapitulando, quid in istis mille annis agit Ecclesia, uel agitur in ea, dixit, Et uidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est eis. Non hoc putandum est de ultimo iudicio, sed de regimine potius intelligendum est præpositorum, per quos nunc præsidentes Ecclesia gubernatur, quæ à suo Rege probabili meruit audire sanctione, Quæ ligaueris super terram, ligata erũt et in cœlo, & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cœlo. Vnde Apostolus, Quid enim de his, qui foris sunt, iudicare attinet? nónne de his, qui intus sunt, uos iudicatis?

ET animæ occisorum, propter testimonium Iesu, & propter Verbum Dei.) Subauditur, quod post ea hic dicturus est, Regnabũt cum Iesu mille annis: animæ scilicet martyrum

tyrum, nōdum sibi corporibus suis redditis. Neq; enim piorum animę mortuorum separātur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi: alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi. Quamuis ergo cum suis corporibus nondum, iam tamen eorum animæ regnant cum illo, quum isti mille anni decurrūt. Vnde in hoc Libro dicitur, Beati mortui, qui in Domino moriūtur. Regnat itaque cum Christo nunc primùm Ecclesia in uiuis & mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus, Mortuus est Christus, ut & uiuorum & mortuorum dominetur. Sed & ideo martyrum tantùm animas commemorauit, quia ipsi præcipuè regnāt post mortem, qui usque ad mortem pro Veritate certauerunt. Sed à parte totum, etiam

cæteros mortuos intelligimus, pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnũ Christi. Quod uerò sequitur,

ET si qui non adorauerunt bestiam, nec imaginem eius, neq; acceperunt inscriptionem in fronte, aut in manu sua.) Simul de uiuis et mortuis debemus accipere. Quæ sit porrò ista bestia, quamuis sit diligentius requirẽdum, non tamen abhorret à fide recta, ut ipsa impia ciuitas intelligatur, & populus infidelium, contrarius populo fideli & ciuitati. Imago uerò eius, simulatio eius mihi uidetur, in eis hominibus uidelicet, qui uelut fidem profitentur, & infideliter uiuunt. Fingunt enim se esse, quod non sunt: uocanturq;, non ueraci effigie, sed fallaci imagine, Christiani. Ad eandem nanque bestiam pertinent, non solùm apertè inimici nominis Christi, &

ſti, & eius glorioſiſſimæ ciuitatis, ſed etiam zizania, quæ de regno eius, quod eſt Eccleſia, in fine ſeculi colligenda ſunt. Et qui ſunt, qui non adorant beſtiã, nec imaginem eius, niſi qui faciunt, quod ait Apoſtolus, Ne ſitis iugum ducentes cum infidelibus. Non adorant enim, eſt Non conſentiunt, non ſubijciuntur.

NEQVE accipiunt inſcriptionem.] Notam ſcilicet criminis.

IN fronte.] Propter profeſſionem.

ET manu.] Propter operationem. Ab his igitur malis alieni, ſiue adhuc in iſta mortali carne uiuentes, ſiue defuncti.

REGNANT cum Chriſto.) Iam nunc modo quodam huic tem pori congruo, per totum hoc interuallum, quod numerum mille ſi-

gnificatur annorum.

RELIQVI eorum non uixerunt.) Hora enim nunc est, quum mortui audient uocem Filij Dei, & qui audierint, uiuent, reliqui ergo eorum non uiuent. Quod uerò subdidit,

DONEC finiantur mille anni.) Intelligẽdum est, quod eo tempore non uixerunt, quo uiuere debuerunt, ad uitam scilicet transeundo. Et ideo quum dies uenerit, quo fiat & corporum resurrectio, non ad uitam de monumẽtis procedũt, sed ad iudicium, ad damnationem scilicet, quæ secunda mors est, donec finiantur mille anni. Quicunque non uixerint, idest toto isto tempore, quo cogitur prima resurrectio, non audierint uocem Filij Dei, & ad uitam de morte transierint, profectò in secunda resurrectione, quę

carnis

carnis eſt, in mortem ſecũdam cum ipſa carne tranſibunt. Sequitur enim, & dicit,

HAEC reſurrectio prima eſt, Beatus & Sanctus, qui habet in reſurrectione prima partem.) Ideſt particeps eius eſt. Ipſe eſt autẽ particeps eius, qui non ſolum à morte, quæ in peccatis eſt, reuiuiſcet, uerum etiam in eo quod reuixerit, permanebit.

IN iſtis ſecunda mors non habebit poteſtatem.) Habet ergo in reliquis, de quibus ſuperiùs ait, Reliqui eorum non uixerunt, donec finiantur mille anni. Quoniam toto iſto temporis interuallo, quod mille annos uocat, quantumcunq; in eo quiſque eorum uixit in corpore, non reuixit à morte. Quod autem quum dixiſſet, In iſtis ſecunda mors non habet poteſtatem, ad-

ſunxit, dicens,

SED erant Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis.) Non utique de ſolis Epiſcopis & Presbyteris dictũ eſt: ſed ſicut omnes Chriſtos dicimus, propter myſticum chriſma, ſic omnes Sacerdotes, quoniã membra ſunt unius Sacerdotis: de quibus Apoſtolus Petrus, Gens (inquit) ſancta, regale ſacerdotium.

ET quum finiti fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de cuſtodia ſua, & ibit ad ſeducẽdas nationes, quæ ſunt in quatuor angulis terræ, Gog & Magog, & trahet eos in bellum, quorum numerus eſt ut arena maris.) Ad hoc ergo tunc ſeducet, ut in hoc bellum trahat: nam & antea modis, quibus poterat, per mala multa & uaria ſeducebat. Exibit autem, dictum eſt, in apertam

perſe

persequutionem, de latebris erumpit odiorum. Nouissima persequutione, iudicio properante, quam tota Ecclesia, & ciuitas Christi ab uniuersa diaboli ciuitate patietur, quãtacunque erit utraque super terram. Gentes porrò iste Gog & Magog, quidam suspicantur Getas & Massagetas, propter primas horum nominum literas: sed interpretationẽ nominũ intendentes meliorem, his coaptari cognoscimus intellectũ: nam Gog dicitur tectum, Magog de tecto, tanquam domus, & ipse qui procedet de domo. Gentes ergo sunt, in quibus diabolum, uelut in abyssum, superiùs intelligamus inclusum: & ipse de illis quodammodo sese efferens & procidens, ut ille sit tectum, ille de tecto. Si autem utrunque referamus ad gentes, non in unum horum ad illas, alterum

ad

ad diabolum & tectum, ipsæ sunt, quia in eis nunc includitur, & tegitur inimicus. Et de tecto ipsæ erũt, quando in apertum odium eruptu ræ sunt. Quod uerò ait,

ET ascenderunt super terræ latitudinem, & cinxerunt castra sanctorum, & dilectã ciuitatem.) Non utique ad unum locum uenisse, uel uenturi esse significati sunt: quasi loco uno futura sint castra Sanctorum, & dilecta ciuitas: quum hæc non sit, nisi Christi Ecclesia toto terrarum orbe diffusa: ac per hoc ubicunque ierit, quæ in omnibus gentibus erit, quod significatum est nomine latitudinis terræ: ibi erunt castra Sanctorum, ibi dilecta Deo ciuitas erit, ibi ab omnibus inimicis suis persequutionis illius immanitate cingetur: hoc est, in angustias tribulationis arctabitur, urgebitur,

con

concluditur,nec militiam ſuam deſerit,quæ uocabulo eſt appellata caſtrorum. Quod uerò ait,

ET deſcendit ignis de cœlo,& comedit eos.] Non extremum putandum id eſſe ſupplicium,quo impios nouimus cruciãdos,ſed ignis potius inuidentiæ,quo cruciabitur aduerſitas de firmitate ſanctorum. Firmamẽtum enim eſt cœlum. Vnde quia ſanctis ſtabilitas ueniet,meritò perſequentibus quoquè inde ignis dicitur aduenire. Hinc legimus, Zelus apprehendit populum ineruditum,& nunc ignis aduerſarios cõſumet. Hæc perſequutio nouiſſima,quæ futura eſt ab antichriſto,tribus annis & ſex menſibus erit. Quod tempus quamuis exiguum,utrum ad mille annos pertineat,quibus diabolum ligatum dicit, & ſanctos regnare cum Chriſto:an

eiſdem

eiſdem annis hoc paruum ſpacium ſuperaddatur, atq; extrà ſit, meritò ambigitur: quia ſi dixerimus, ad eoſdem annos pertinere, nõn tanto tempore, ſed prolixiore cum Chriſto regnum Sanctorum reperitur extendi, quanto diabolus alligari. Profectò enim Sancti cum ſuo Rege, etiam in ipſa prçcipuè perſequutione regnabũt, mala tanta uincentes, quando iam diabolus non erit alligatus, ut eos perſequi omnibus uiribus poſſit. Quomodo ergo iſta Scriptura eiſdem mille annis utrũque determinat, diaboli ſcilicet alligationem, regnumq; Sanctorum: quum trium annorum & ſex menſium interuallo prius deſignat alligationem diaboli, quàm regnum Sanctorum in his annis mille cum Chriſto? Si autem dixerimus paruum perſequutionis huius hoc ſpacium

cium, non computandum in mille annis, sed his impletis potius adijciendum, ut propriè possit intelligi: quod quum dixisset, Sacerdotes Dei & Christi regnabunt cum eo mille annis, adiecit,

ET quum finiti fuerint mille anni, soluetur Satanas de custodia sua.) Illo enim modo & regnum Sanctorum & uinculum diaboli simul cessaturum esse significat. Vnde in se persequutionis tempus illius nec ad Sanctorũ regnum, nec ad custodiam Satanæ, quorum utrunq; in mille annis est pertinere, sed superadditum, & extrà computandum esse credatur, cogimur fateri Sanctos in illa persequutione regnaturos non esse cum Christo. Sed si quis audeat dicere, tunc cum illo non regnatura sua mẽbra, quãdo ei maximè atq; fortissimè cohærebunt

rebunt: & quo tempore quãto erit acrior impetus belli, tanto maior erit gloria non cedendi, tanto densior corona martyrij. Quocirca cũ Christo regnãtium Sanctorum plures anni erunt, quàm uinculi diaboli, atq; custodiæ: quia illi cum Rege suo Dei Filio, iam diabolo non ligato, etiam per treis illos annos ac semissem regnabunt. Remanet igitur, ut quum audimus, Sacerdotes Dei & Christi regnabunt cum eo mille annis, & quum finiti fuerint mille anni, soluetur Satanas de custodia sua. Aut nõ regni huius Sanctorum intelligamus annos mille finiri, sed uinculi diaboli atque custodiæ, ut annos mille, idest omnes annos suos, quæq; pars habeat, diuersis ac proprijs prolixitatibus finiendos: ampliores, Sanctorum regno: breuiores, diaboli uinculo, aut certè, quia

tè, quia breuissimum tempus trien-
nij & sex mensium computari no-
luit: siue quod amplius uidetur re-
gnum habere Sanctorum, sicuti tà
lia in Sacris sæpe literis inuenimus.
Post hanc autem commemoratio-
nem nouissimę persequutionis bre
uiter complectetur totum, quod ul
timo iudicio diabolus, & cum suo
principe ciuitas inimica passura
est. Dicit enim,

ET diabolus, qui seducebat
eos, missus est in stagnum ignis &
sulphuris, quo & bestia & pseudo-
prophetæ cruciabuntur die & no-
cte, in secula seculorum.) Bestia be-
ne intelligitur ipsa impia ciuitas,
pseudoprophetæ uerò & antichri-
stus est, aut imago illa, idest figmen
tum, de quo hic loquutus est.

ET uidi thronum magnum &
candidum, et sedentem super eum,

à cuius facie fugit cœlum & terra, & locus eorum inuentus non est.) Eum se dicit in throno uidisse sedentem, à cuius facie fugit cœlum. Postea quippe peracto iudicio, esse desinunt cœlum & terra, quum incipiet esse cœlum nouum, & terra noua, mutatione scilicet rerũ non omnimodo interiturarum transibit hic mundus. Vnde Apostolus dicit, Præterit enim figura huius seculi.

ET uidi mortuos magnos & pusillos, & aperti sunt libri, & alius liber apertus est, qui est uitæ uniuscuiusque, & iudicati sunt mortui, ex ipsis scripturis librorum, secundùm facta sua.) Libros dixit esse apertos, sed librũ cuius modi non tacuit. Illi itaq; intelliguntur Noui & Veteris testamenti, ut quum in eis ostenditur, quod Deus fieri præ

cepiſſet, in illo clareat: quid horum quiſque non feciſſet, ſiue feciſſet. Qui liber non carnaliter cogitandus, nec tanquam ſcripto exaratus uitas continere putandus eſt, ſingulorum iudicio recenſendus. Quæ enim uis eſt Diuina intelligenda, qua fiet, ut cuicunq; opera ſua uel bona uel mala cũcta in memoriam reuocentur, & mentes intuitu mira celeritate cernantur, ut accuſet uel excuſet ſcientia conſcientiam, atq; ita ſimul & omnes & ſinguli iudicentur, quæ nimirum uis Diuina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur, quicquid ea faciente recolitur. Vt autem oſtenderet, qui mortui iudicandi ſunt, puſilli & magni, recapitulando dicit, tanquã rediens ad id quod prætereat, uel potius diſtulerat.

ET exhibuit mare mortuos,

qui in eo erant, & mors & infernus reddiderunt, quos in se habebant.) Hoc proculdubio prius factũ est, quàm essent mortui iudicati: ideo recapitulauit, quod intermiserat. Nunc autem ordinem tenet, dicẽs, Et iudicati sunt singuli secundùm facta sua. Sed qui sunt mortui, quos exhibuit mare, nisi illi, quos in seculo positos, secundus Christi inuenit aduentus? Et bonos scilicet & malos, mortuorum significans nomine. Bonos, quibus dicitur, Mortui enim estis, & uita uestra ab scondita est cum Christo in Deo. malos uerò, de quibus dicitur, Sine mortuos sepeliant mortuos suos. Possunt mortui etiam propter hoc dici, quod mortalia gerunt corpora: unde Apostolus, Corpus quidem, inquit, mortuum est propter peccatum, spiritus autem uitæ pro

pter

pteriuſticiam: utrunque in homine uiuente in hoc corpore eſſe demon ſtrans. Mare itaque, ait, exhibuit, quia ſicut inuenti ſunt, adfuerunt. Mors uerò & infernus reddiderũt, quoniam uitæ, de qua iam exierãt, reuocarũt. Nec fruſtra fortaſſe, nõ ſatis fuit, ut diceret Mors, & infernus, ſed utrunqꝫ dictum eſt: mors, propter bonos, quantũ modò mortem perpeti potuerunt, non & infernũ: infernus autem, propter malos, qui & pœnas apud inferos pendunt. Si enim non abſurdè credi uidetur, antiquos etiam Sanctos, qui uenturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, & apud inferos fuiſſe, donec eos inde Chriſti ſanguis, & ad ea loca deſcenſus erueret, profectò deinceps boni fideles effuſo illo precio iam redẽpti, prorſus in-

ſeros neſciũt, donec etiam receptis corporibus bona recipiãt, quæ merentur. Quum autem dixiſſet, Et iudicati ſunt ſinguli ſecundùm facta ſua: breuiter ſubiecit quomodo,

ET mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis.) His nominibus ſignificans diabolum, quoniã mortis eſt auctor, infernarumq́ poenarum, uniuerſorumq́ ſimul dæmonum ſocietatẽ. Hoc eſt enim, quod ſuprà euidẽtiùs præoccupãdo iam dixerat, Et diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris. quod uerò ibi obſcuriùs adiunxerat, dicens, quod & beſtia & pſeudopropheta, hic apertiùs.

ET qui non ſunt inuenti in libro Vitæ ſcripti, miſſi ſunt in ſtagnum ignis.) Non Deum liber iſte cõmemorat, ne obliuione fallatur, ſed prædeſtinationẽ ſignificat eo-

rum

rum, quibus æterna dabitur uita. Neq; enim nescit Deus, & in hoc Libro legit, ut sciat, sed potius ipsa eius præscientia de illis falli, quæ liber iste Vitæ non potest, in quo sunt scripti, id est antè præcogniti. Finito autem iudicio, quo prænunciauit iudicandos malos, restat ut etiam de bonis dicat.

CAPVT XX.

ET uidi cœlum nouum & terram nouam, primum cœlum & terra recesserunt, & mare iam non est.) Isto fiet ordine, quod superius præoccupando iam dixit, Vidisse se super thronum sedentem, à cuius facie fugit cœlum & terra, iudicatis uidelicet impijs atq; damnatis. Tunc figura huius mundi, mundanorum ignium conflagratione

præteribit. Sicut factũ est mũdanarum aquarũ inũdatione diluuiũ, ut cœlo & terra in melius cõmutatis, incorruptione et immortalitate sanctorum corporũ, congrua utriusq; cõmutationis qualitate conueniat, mũdusq; in melius innouatus aptè accõmodetur hominibus, etiam in melius innouatis. Quod autem ait, Et mare iam non est: utrum maximo illo ardore siccetur, an et ipsum uertatur in melius, non facilè dixerim. Cœlum quippe nouum & terram nouam futuram legimus. De mari autem nouo aliquid me uspiam legisse non recolo. Quod si fortè, ut adsolet, prophetica loquutio proprijs uerbis translata miscere, ac sic quodammodo uelare, quod dicitur de illo mari, potuit dicere, cuius uocabulo hoc seculum significare cognoscitur. Iam enim tunc

non

non erit hoc ſeculum, uita mortalium turbulẽtum ac procelloſum, quod maris nomine figurauit.

ET ciuitatem magnam Hieruſalem nouam uidi deſcẽdentem de cœlo, à Deo aptatam, quaſi nouam nuptam, ornatam marito ſuo: & audiui uocem magnã de cœlo dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, & erũt ipſi populus eius, & ipſe Deus erit cum eis, & abſterget omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors iam non erit, neq; luctus, neq; clamor, ſed nec dolor ullus, quia priora abierunt: & dixit ſedens in throno, Ecce noua facio omnia.) De cœlo deſcẽdere iſta ciuitas dicitur, quoniã cœleſtis eſt gratia, qua Deus eam fecit: propter quod ei dicit etiam per Eſaíam, Ego ſum Deus faciens te. De cœlo quidem ab ini-

tio sui descendit, ex quo per huius seculi tẽpus, gratia Dei desuper ueniente per lauacrum regenerationis in Spiritu sancto misso de cœlo, subinde ciues eius accrescunt. Sed per iudiciũ Dei, quod erit nouissimum, per eius Filium Iesum Christum, tanta eius, & tam bona de Dei munere claritas apparebit, ut nulla remaneant uestigia uetustatis. Quando quidem & corpora ad incorruptionem atque ad immortalitatem noua ex uetere corruptione ac mortalitate transibunt. Hinc enim promittit, dicens, Et abstergет omnem lachrymam ab oculis eorũ, & mors iam non erit, neq; luctus, neq; clamor, sed nec dolor ullus, quæ omnia non huic, sed futuræ uitæ certũ est cõuenire. Nunc enim in hac uita, quanto quis fuerit sanctior, sanctisq; desiderijs plenior

nior, tantus eſt eius in oratione fletus uberior. Hinc legimus, Factæ ſunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte. &, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: hiſq; ſimilia.

ET dicit, Hæc uerba fideliſſima ſunt, & uera: & dixit mihi, Factum eſt.) Hæc credi oportet, non exponi: præſertim quia ſic dicit, Factum eſſe de præterito, ut dubitare quenquam non ſinat de futuro.

EGO ſum Alpha & Ω, primus & nouiſſimus.) Sicut in initio Libri hoc ſe eſſe teſtatus eſt, ita hoc tertiò oportuit repetere, ut neque ante eum Deus, ſicut Eſaias dicit, neq; poſt eum credatur alius.

EGO ſitienti dabo de fonte aquæ uitæ gratis.) De hoc fonte irrorat nunc credentes in uia, quem uincentibus ubertim hauriendum præbet in patria, ne peregrini in

hac

hac eremo siti deficiant, compluuntur: ut ciues facti, ex torrente deliciarum Dei iugiter inebrientur. Vtrunque autem gratis, quia gratia Dei, inquit Apostolus, uita æterna. Sequitur,

QVI uicerit, possidebit ea, & ero ei Deus, & ipse erit mihi filius.) Illam hic generationem memorat, de qua Apostolus dicit, Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem, Abba, Pater: si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Spe autem salui facti sumus, quum per spem peruenietur ad rem, ipse Deus erit electis æternæ beatitudinis præmiū, quod habeo, possessi possideant in æternum.

DVBIIS autē & infidelibus.) Dubijs hoc loco debet intelligi, de quo Iacobus Apostolus, Vir (inquit

quit) duplex animo, inconstans in omnibus uijs suis.

ET abominatis, & homicidijs, & fornicarijs, & ueneficis, & his, qui idolis seruiũt, & omnibus mendacibus, pars eorũ erit in stagnum, quod ardet igne & sulphure, quod est mors secunda.) Hæc uel uitia criminum, uel flagella pœnarum, non exponenda sunt, ut intelligantur: sed cogitanda potius, quomodo per Dei gratiam deuitentur.

ET uenit unus ex septem angelis, habentibus phialas septem plenas plagis ultimis.) Sicut in bono uniuersitas septenario sæpe numero figuratur, sic & in malo potest uniuersitas plagarũ eodem numero comprehẽdi. Quod si illas, quas superius numerauit effusas, nunc asserit plenas, mirandum quomodo mũdo siluerit irrogatas, nisi for-

tè hic

tè hic sensim uoluerit perstringere, quod se iam latius nouerat digessisse ut nec malorũ omitteret mentionem, & intẽtionem suam ad bonam mox Ecclesiæ figuram diuerteret. De quibus cantat, Credo uidere bona Domini in terra uiuentium. Sequitur denique,

ET loquutus est mecũ, dicens, Veni, ostendam tibi nouã nuptam uxorem agni.) Idest Ecclesiam.

ET duxit me in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatẽ sanctam Hierusalem, descendentem de cœlo à Deo.) Hæc est testimonio ueritatis Ciuitas supra montem posita. Hic Esaias, Erit, inquit, præparatus mons domus Domini in uertice montium, & eleuabitur super colles. Siue pro illius summitate iusticię de qua legimus, Iusticia tua, sicut montes Dei: siue

quia

quia montes quidem & Apostoli, & Prophetæ nuncupantur. Omnibus tamen præcellens eminet Dominus Christus, tanquam mons in uertice montium, de cuius plenitudine nos (inquit) accepimus gratiã pro gratia. Et bene de cœlo à Deo: tunc enim amplius decora uidetur, quando per Spiritũ, quo eius sponsus creditur conceptus & genitus, imaginẽ meruit portare cœlestem. Ipsa ergo sponsa, quæ ciuitas.

HABENTEM lumen claritatis Dei.) Cui Dominus dicit, Vos estis lux mundi. quæ uox omni corpori competit Christi, quam ex ore ueritatis, tunc Apostoli susceperũt, tempore meritisq; priores.

ET quod illuminat eam, simili lapidi preciosissimo, quasi lapidi iaspidi refulgenti in modum crystalli.) Quum sint diuersi generis & co

& coloris, lapis iaſpis & cryſtallus, bene tamen pro ſimilitudine hic utrunq; coniunxit, eumq; precioſiſſimo mox comparat lapidi, ut eum Chriſto relatum uelit intelligi. De quo beatus Petrus, Lapidem (inquit) angularem precioſum in fundamento fundatum.

ET habebat murum magnum & latum, qui haberet portas duodecim, & in portis angulos duodecim, & nomina ſcripta duodecim tribuum filiorum Iſrael.) Murus Eccleſiæ Chriſtus, quem & magnũ legimus & excelſum. Magnus Dominus, & laudabilis ualde in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, & excelſus Dominus ſuper omnes gentes. De muro autem ſic Eſaias Propheta dicit, In die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda, Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Sal

uator

uator ponitur in ea murus,& ante-
murale:aperite portas,& ingredia-
tur gens iusta custodiēs ueritatem.
uetus error abijt. Vno spiritu eadē
concinentes similia narrare uiden-
tur. Sequitur deniq; etiam de por-
tis,dicens, Et portas duodecim,&
in portis angelos duodecim,& no
mina scripta duodecim tribuum fi
liorum Israel. Scimus quidem per
duodecim Apostolos Dominū no
strum ad fidem uniuersis introitū
primordialiter præbuisse, huius ta
men circumstantia loci ab hac nos
intentione reuocauit,quando duo
decim tribuum Israel interposuit
mentionem, tanquam duodecim
primùm patriarchas hic intelligi
uolens,ex quorum stirpe nouimus
uniuersam Israelitarū gentem spe-
cialiter propagatam,& secundùm
Apostolum Paulum, reliquiæ per

electionem gratiæ salue factæ sunt, adiungens, Quoniam non repulit Deus plebem suam. Atq; ideo duodecim hic Patriarchas in totidem portas debemus accipere: præsertim audientes, quod non radicem portas, sed radix te. Euidēter enim dicit, Et nomina scripta duodecim tribuum filiorū Israel. Hinc idem Apostolus cōfidenter clamat, Qui sunt cognati mei secundū carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamenta & legislatio & obsequium & promissa: quorum patres, & ex quibus Christus secūdùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Angelos autem hic significari puto illos seniores ac proceres, quorum illa gens dispensatione ad Ducatum mirabiliter regebatur. Quos si Deos sæpe dicimus, quid

mirum, ſi angelos appellari credamus? Applicabitur, inquit, ad Deos, & ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vt uniuerſitatẽ totius plebis complexus, oſtenderet, quæ in Præpoſitis conſtat & populis.

AB Oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres, ab Auſtro portæ tres, ab Occidente portæ tres.) Illum hic duodenarium complectitur numerum, qui in Apoſtolis ſimul ac ſedibus, pro diuerſitatis plenitudine nobis inſinuatur ſæpe ſacratus. Sedebitis, inquit, mecum duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Impar enim, ideſt ternarius, per parem quaternariũ multiplicatus, ideſt ter quaterni duodenarium facit. Sequitur,

ET muri ciuitatis habent fundamenta duodecim, & ſuper ea nomina duodecim Apoſtolorum, &

agni.] Patriarcharũ præmiſſa mentione, Apoſtolos memorat. Quum norimus Eccleſiam unum tantùm fundamentum habere, ideſt Chriſtum, moueri non debemus, quod hic eam duodecim habere dicit. In Chriſto enim, Apoſtoli eſſe meruerunt Eccleſiæ fundamenta: de qua Apoſtolus, Fundamẽtum (inquit) aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitũ eſt, Chriſtus Ieſus. In ipſo etiam lux Apoſtoli eſſe dicũtur, quum eis dicit, Vos eſtis lux mundi: quum ſolus Chriſtus ſit lux uera, quæ illuminat omnem hominem ueniẽtem in hunc mundum. Chriſtus itaque lumen illuminans, illi autem lumen illuminatum. Multa ſimilibus nobis dictis Scriptura ſancta frequẽter inſinuat. Iacobus denique Apoſtolus dicit, Volũtariæ genuit nos uerbo ueritatis, ut ſimus

ali-

aliquod initium creaturę eius. Securus tamẽ Paulus Apoſtolus, plebẽ Dei alloquitur, dicẽs, In Chriſto Ieſu per Euangelium ego uos genui. Ergo deus per adoptionẽ gratiæ generat, Paulus in Chriſto uel ſacramẽti adminiſtratione, uel prædicatione doctrinæ, memor tamẽ Diuinæ commonitionis, qua dicit, Nolite uobis dicere magiſtros ſuper terram. Vnus eſt enim magiſter ueſter, qui in cœlis eſt. Similiter & patres, idem Paulus alibi dicit, Nunquid Paulus pro uobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis, ut omnem fidelium intentionem, ſpem ab hominibus ſuſpendens, in Deum ſalubri doctrina dirigeret. Hoc ſenſu Pſalmus quoq; concinit, dicens, Leuaui oculos meos ad montes, unde ueniet auxiliũ mihi, Montes intelligi uolens Apo-

ſtolos & Prophetas, quos ſol iuſticiæ Chriſtus principaliter radiauit: At ne in hominibus fidere putaretur, mox ſequutus adiunxit, Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Sic etiam hic duodecim fundamēta Apoſtolos, in uno tamen fundamento Ieſu Chriſto uocatos decet agnoſcere. Ad hoc pertinet, quod etiam nomen agni non ſiluit, dicens, Et ſuper ea nomina duodecim Apoſtolorū & agni. Fundamenta itaq; Apoſtoli, ſed in uno fundamēto Ieſu, & ſolus Chriſtus ſine Apoſtolis iure dicitur fundamentum: Apoſtoli autem ſine Chriſto fundamenta Eccleſiæ nullatenus dicerentur. Sic etiam cætera, quæ huic loco cōparationis gratia putauimus applicanda. Meruerunt enim illi in Chriſto fideles ſpiritaliter generare, quod ſine ipſis ſo

ſus Chriſtus, ſiue Lex incomparabiliter adoptaret. Meruerunt etiam populorũ in Chriſto eſſe magiſtri, atque paſtores, ſed ut cœleſti Patri magiſtro atq; paſtori eorum ſeruitus militaret. Illi ergo ſecundũ menſuram, quam eis partitus eſt Chriſtus beneficio Domini ſui. Ipſe autem Chriſtus potentia ſingulariter naturali: de quo dictum in Euangelio meminimus, Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. In ipſo enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, de cuius plenitudine omnes nos accepimus, & gratiam pro gratia. Sequitur,

ET qui mecum loquebatur, habebat arundinem auream ad menſuram, ut metiretur ciuitatẽ, & portas eius, & muros eius, & ciuitas in quadrato poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo.)

Superius ſibi Ioannes dicit arundinem datam, tanquam prædicationis diſpenſationẽ ſibi commiſſam: nunc uerò Angelum, qui ei loquebatur, auream dicit habere arundinem. Vt metiretur (inquit) ciuitatem, & portas eius, & muros. Chriſtum itaq; oportet intelligi, qui eſt ſapientia Dei, attingens à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. Inde legimus, Accipite ſapientiam ſicut aurum, et recondite. Sic Chriſto licet metiri ciuitatem, qui unicuique fidelium, ſpiritalium diſtribuit dona gratiarum. Qui etiam, ſicut legimus, Omnia in numero & menſura & pondere diſpoſuit. Hæc nimirum demenſio ciuitatis ab Apoſtolo memoratur, quum dicit, Secundùm menſuram donationis Chriſti. Itemq;, Mihi minimo omnium Sanctorum data

est gratia hæc in Gentibus euange lizare. Ideo sanè ciuitas, in qua draco posita, & omni ex parte æquali dicitur demēsione locata, quia nulla sinitur inæqualitate nutare. Perfecti enim secundùm Apostolum esse, idem sapere, pacem habere. uerè est in soliditate quadra subsistere. Ipsa est ciuitas, quam super montem ædificatam, idest super se fundatam, in Euãgelio Dominus protestatur. Ob hoc & Petro, qui figuram totius gestabat Ecclesiæ, dicit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: ac si diceret, Super me ædificabo te, petra enim erat Christus. Sicut ergo à petra Petrus, sic à Christo Christianus. Docens utiq; fugienda humani erroris inuenta, & sola Diuinæ ueritatis monumenta sectanda.

ET mensus est ciuitatem arun-

dine ab stadiorum duodecim milium longitudine & latitudine & altitudine æquali.) Hæc est illa soliditas ueritatis inuictæ, qua Christi Ecclesia ritè subnixa circūferri non sinitur omni uento doctrinæ. Duodenarius autem numerus, centum quadragintaquatuor conficit, per se summatus. Duodecies enim decus dipondius centum quadragintaquatuor faciūt. Sequitur autem,

MVROS uerò demensus est, centum quadragintaquatuor milia, mensura hominis, quæ est angeli. Angelum hic Ecclesiam sæpe poni, aperta locorum frequentia protestatur. Et quoniam ex hominibus conquisita constat Ecclesia, et Christi promissionibus sublimata, angelorum æqualitatē sperat, eiusq́ omnis intentio eorum societate suspi[illegible]t. Propterea dicit, Mensura hominis

nis quæ eſt angeli:uel quod illa ciui tas partim ex angelis, ibi iam perpe tuæ felicitatis manentibus, partim ex peregrinis, ideſt hominibus con ſtet plenius regnatura. Aliter, ſiue quia detractum cœleſti habitationi Angelorum quendam numerum tranſgreſſorum hominum, numero redemptorũ fidimus inſtaurandum, facile enim uberiori copia ſubrogabitur, non tamen minuetur. Hinc & in Deuteronomio canitur, Statuit terminos gentium ſecundùm numerum angelorũ Dei, & cætera.

ET fuit ædificatio muri eius ex lapide iaſpide.) Beatus Petrus plebem exhortatur, ut tanquam lapides uiui ædificentur in domo ſpiritali. Sequitur,

IPSA uerò ciuitas ex auro mundo, ſimilis uitro mundo.) Ad h[illegible]

incon

ſincōuenientia quoq; memorat, ut omnibus ſimilitudinibus uni ſingulari lapidi, Chriſto ſingularē deferens dignitatem, ut ei omnia doceat militare. Quis enim neſciat, aurum uitro meritò differre, & colore diſtingui? Et licet nouum non ſit, auro Eccleſiā figurari, quæ in candelabris aureis & phialis, propter ſapientiæ cultum ſæpe cuncta deſcribitur, hac tamen permouet, quod aurum mundum uitro mundo conſimilat. Illud autem ſignificatum æſtimo, quod prædixit Apoſtolus, dicens, Nolite ante tempus iudicare, quoad uſque ueniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. In uitro enim non aliud manifeſtatur exterius, quàm quod continetur interius. Quocirca illud tempus hic Liber annun-

cians

cians, quo ſibi inuicem cogitationes in alterutrum perſpicaciter declarãtur. Fidenter uitro, aurum uoluit comparare. Quicquid autem tunc inerit cogitatione Sanctorum, ſapiẽtia fulget, honeſtate decorum, cui meritò congruit comparatum. Nunc autem quantacunque quis uirtute præcellat, nemo ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Aliter, uel quod uitreum pro ſuo modo in genere ſuo prorſus emineat.

FVNDAMENTA autem ex omni lapide precioſo.) Et in Cantico legimus Tobiæ, Lapides precioſi omnes muri tui. Et in Eſaia ſic, Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in

os in lapides desiderabiles. Et quomodo, si exponeret quod dicebat, ne terrenæ fabricæ ambitum carnaliter cogitares, subiecit atque ait, Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis, & cætera. His beatus Apostolus concinens sensibus, dicit, Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarũ, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino.

PRIMVM fundamentum iaspis.) Hoc quod dudum dixit, Fundamẽta autem ex omni lapide precioso, nunc enumerãs nominatim excurrit.

SECVNDVM sapphirus, tertium Chalcedonius, quartũ smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardi

ſardius, ſeptimum chryſolitus, octa uum berillus, nonum topazius, decimum chryſopaſus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethyſtus.) Iſtis ſimilitudinibus lapidum omnia ſignificatur decora, ac firmamenta uirtutum, quibus & unuſquiſque Sanctorum ſpiritaliter perornatur: & ipſa tota ciuitas ijſdem tanquam lapidibus & robore firma, & uarietatis cultu, cuncta deſcribitur.

ET duodecim portas ſingulæ, ex ſingulis margaritis.) Quod de uno fundamẽto Chriſto, & de duodecim Apoſtolis agni ſatis ſuperque iam diximus, hoc etiã de una margarita, ideſt Chriſto, quam negociator inueniens, uenditis omnibus comparauit, & de duodecim decet conſiderare legentem.

ET plateas eius ex auro lympido.

do.) Sicut uitrum lympidum iam dixerat, quod ciuitas ex auro mundo, similis uitro mundo, uel quod fundamenta eius sint ex omni lapide precioso: quod ad potentes Ecclesiæ æstimo referēdum. Nunc de plateis eius adiecit, dicens, Et ipsas ex auro lympido, sicut uitrum, inquit, lympidum: tanquam plateæ ad descriptam dudum non pertineant ciuitatem. sed illos hic paruulos significari coniicio, de quibus nunc dicitur, Infectum meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Itemq́ꝫ, Et cum simplicibus sermocinatio eius, quo scilicet ipso quoque hoc munere non fraudentur, suasq́ꝫ cogitationes uice mutua contemplentur. Sicut enim platea in inferiori loco poni, sic tales humili uidentur saluari loco. Quod si in plateis latitudo intel

ligenda

ligẽda eſt charitatis, diuerſis uoluit uocabulis ſignificare perfectos: tũc autem iam nullus ibi indignus, nullus inuenietur paruulus aut infirmus. Licet alius alio præmiorum clarorũ emineat diſparilitate ſublimior. Stella enim ab ſtella differt in claritate, ait Apoſtolus, ſic & reſurrectio mortuorum.

TEMPLVM autem in ea non uidi: Dominus enim Deus omnipotens, & agnus, templũ illius eſt.) Sicut membris ſingulis corpus extruitur, ſic precioſis lapidibus templum. Et quoniã non uult nos materialibus machinis deditos, carnale hic aliquid ex inolita conſuetudine cogitare, ab hac nos intentione ſuſpendens, dicit, Templum in ea non uidi, Dominus omnipotens et agnus, templum illius eſt. Eccleſia enim, præſertim remotis iam ziza-

niijs, in solis electis exultans, in Deo sacrata manet, tanquam in templo Dei toties requiescens: ut à quo existendi sumpsit originem, & redemptionis experta est lenitatem, in ipso beatam quoque obtinet mansionem. His enim tribus, omnis eius summa perficeretur, Esse, nosse, diligere. Deus autem eam condidit informandã, illuminauit uocatam, beatificauit electam, quum in se facit promissa glorificatione habitare perfectam, nõ iam per fidem ambulantem, sed in specie congaudentem.

ET ciuitas non eget sole, neque luna, ut luceat ei: nam claritas Domini illuminat eam, & lucerna eius, agnus est.) Volens nos ab usitata diurni nocturnique luminis uicissitudine omnino suspendere, & ad illud lumen incommutabile reuoca

uocare dicit, Non eget Sole. Nec eodem ordine illam irradiari asserit ciuitatem, sed longe meliore & ineffabili luce, Sole scilicet iusticiæ, quem Propheta memorans dicit, Et sanitas in pennis eius. Ipse est enim uerus filius, & uita æterna ueraq; lux, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Quod quia in deitate in hoc seculo nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, melius ad quod hic dixit, explicari non potuit.

CLARITAS Domini illuminabit eam: lucerna eius, agnus est.) Quid enim potissimũ daretur uincenti, quàm ut ipso mereatur munerum largitore potiri. Ipso quippe lumine fruemur in patria, quo nunc regimur gradientes in uia, eodem informati, inter bona & mala

discernimus, quo tũc beatificati sola, quæ bona cernimus.

ET ambulabunt gentes per lumen eius, & Reges terræ conferent claritatem suam in eam.) Hoc penè uoluit his dictis significare, quod idem ipse agnus sit peregrinãtibus uia, qui tunc ciuibus uita. Quicquid enim adepti fuerint dignitatis debitis, necesse est, laudibus honori conferant largitoris. Reges autem hic spiritales dicit, de quibus legimus, Potens est, et dat uirtutem Regibus nostris, & exaltauit cornu Christi sui.

ET portæ eius non claudentur die, nox enim ibi non erit.) Lumen agni perpetuum, immo ipsum pro lumine sempiterno, in illa ciuitate sublato, noctis tempore memorat profuturum: sicut Esaias, Erit eis, inquit, mensis ex mense, & sabbatum

tum ex ſabbato. In menſe, ſignificans lumen, propter pleniſſimum Lunæ fulgorem, in ſabbato, perpetuam requiem. Ac ſi diceret, Lumē eis ex lumine, & requies æterna eis cōtinuatur ex requie. Quod autem portæ non claudentur, pleniſſimæ ſeueritatis indicia declarãtur. Non enim ibi iam dicitur, Vigilate & orate, ut non intretis in tẽtationem: ſed potius, Vacate & uidete, quoniam ego ſum Dominus: ibi honeſtè diligitur, quod uidetur: ſine ceſſatione laudabitur, quod amatur: ibi nec marceſcit quiſquam ocio, nec fatigatur laudis perpetuæ negocio: & ponent honorem & maieſtatem gentium in ea, eo quod ex omnibus gentibus ſit congreganda.

ET non intrabit in ea omne immundum, & faciens abominatio-

nem uitæ, nisi qui scripti sunt in Li
bro illius agni.) Futuri temporis
circumscribit Ecclesiam, quando
iam nullos permixtos cum bonis,
cohabitantes patitur malos, quia
soli cum Christo boni regnabunt,
cum quo & in quo in eadem Hie-
rusalem cœlesti, matre omnium pa
riter permanebunt. In eius sanè a-
gni Libro dicit scriptos, qui dicit,
Gaudete, quia nomina uestra scri-
pta sunt in cœlo.

CAPVT XXII.

ET ostendit mihi flumen ma-
gnum aquæ uiuæ, candidum,
quasi crystallũ, exiens de sede Dei
& agni, per mediam plateam eius:
in flumine uitę, ciuitatis medio per
meante.) Non adhuc celebratio
indicitur baptismi, sed fructus iam

ipsius

ipsius reuelabitur sacramenti. modò enim in lachrymis seminatur, quod in gaudio tunc metetur. Et ideo nunc Ecclesia seminat in spiritu, ut de spiritu metat uitam æternam. Quum itaq; experientia probabimus, quanto nos humilitatis fructu inuenerit præcepti gratia, sacramento tunc manifestari Ecclesiæ in Ioanne perhibetur. Flumen aquæ uiuæ candidum, quasi crystallum, idest stabilitas in fide. Qui enim perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Hoc significans sequitur,

EX utraque parte fluminis lignum uitæ, afferens duodecim fructus, per singulos menses reddens fructum suum, & folia ligni in curatione gentium. Neq; ullum iam maledictum erit In duodecim mensibus omne tempus insinuat, & per

petuitatem omnino deſignat. Quocirca ubi æternus uiror, nulla unquam ineſſe ſignificari ſinitur ariditas. Vbi perfecta & ſtabilis ſanitas, nulla interpellat prorſus infirmitas: quod Propheta promittit, dicens, Gaudium & lætitiam obtinebit, & fugiet dolor & gemitus. Lignum illud eſt, quod plantatum legimus ſecus decurſus aquarum: de quo & Hieremias dicit, quod ad humorem mittet radices ſuas: ideſt ſpem & fiduciam in Domino collocat. Aliter, Flumen aquæ uiuæ, & cætera: rectè ipſe fons aquæ uiuæ Dominus Ieſus Chriſtus ſignificari cognoſcitur, de quo legimus, Apud te eſt fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumẽ. Ipſe eſt enim, quemadmodũ legimus, Imago maieſtatis Dei, omnia potens, & permanens in ſe, omnia innouat, &

pergens in animas ſanctas requie-
ſcit. Ille itaque fons, qui fluuius:
fons, eo quod in ſe incommutabi-
lis maneat; fluuius, quod ad ſatieta
tem Sanctorum ſe largiter & iugi-
ter præbeat. Nam & ubi fons dici-
tur, torrens etiam nominatur. Quũ
enim Pſalmus diceret, Ex torrente
deliciarum tuarum potabis eos, ſe-
quutus adiunxit, Quoniam apud
te eſt fons uitæ, & in lumine tuo ui-
debimus lumen. Bene autẽ per me
diam plateam, tanquam commune
Sanctis omnibus bonũ, quod nul-
li negetur digno, nulli donetur in-
digno. Qui enim habitant in Hie-
ruſalem montes in circuitu eius, &
Dominus in circuitu populi ſui.
Itemq́ꝫ, Deus, qui glorificatur in
conſilio Sanctorũ, magnus & me-
tuendus ſuper omnes, qui in circui
tu eius ſunt. In medio quippe eſt,

tanquam indiuisum cunctis patrimonium, uidentibus Deum. Hinc legimus, Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Si autē fructus mercedis beatæ immortalitatis accipitur, rectè folia perpetuus intelligitur cantus, quod per ætatem cadat, felici iam sorte canētibus. Ibi enim gentium curatio uera, redemptio plena, & felicitas sempiterna. Sed thronus Dei & agni in ea erunt: non dixit, Erunt, neq; Throni. Vbi enim est unitas naturalis, & indifferens gloria Deitatis, ibi maximè commendari oportuit unus thronus indiuisibilis sensiōis, quia nec Arianæ prauitatis astu diuidi, nec Sabellianæ uanitatis possit suspicione confundi, sed catholicæ tantùm ueritatis queat adoptione uideri, cuius etiam rectæ credulitatis

proba

probatur confessione teneri.

ET uidebūt faciem eius.) Considerans uisionem Dei, quæ Sanctis in futuro promittitur magni esse meriti causam, & excellenti prorsus æstimatione pendendam, elegi sancti Augustini dicta in hoc loco congrua deflorare, ut ipso docente possimus, qualis futura promittatur, indubitāter cognoscere. Nam de uisione Dei, ad Paulinam scribit, dicens, Donec diligenti inquisitione, si Dominus adiuuerit, reperiatur, quid secundum Scripturas de spiritali corpore, quod in resurrectione promittet̄, probabilius sentiendum sit. Interim nobis sufficiat, quod unigenitus Filius, idest mediator Dei & hominum, Christus Iesus ita uidet Patrem, sicut uidetur à Patre. Nos autem ad illam uisionem Dei, quæ nobis in resur-

rectione

rectione promittitur, non ex hoc mundo istam concupiscentiam oculorum transferri conemur. Sed in mundandis cordibus pio studeamus affectui, et corporalem faciem cogitemus, quum dicit Apostolus, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: præsertim quia expressius dixit, Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Vnde quis eum non intelligat, eo loco etiam num faciem illam significare uoluisse: de qua ait alio loco, Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam de Domini spiritu, De gloria scilicet fidei, in gloriam contemplationis æternæ. Hoc quippe ait, Hæc transformatio, qua interior homo renouatur

de die in diem. De quo Apoſtolus Petrus, quum eum moneret ornari, Non quæ à foris, inquit, ornatur capillorum in criſpationibus, aut auro, & margaritis, & ueſte precioſa, ſed ille abſcõditus cordis homo, qui eſt ante Deum locuples. Item in Libro uigeſimoſecundo De ciuitate Dei idem ſic dicit, Præmium fidei nobis uiſio Dei ſeruatur: de qua & Ioannes Apoſtolus loquẽs, Quum apparuerit, inquit, ſimiles ei erimus. Quomodo uidebimus eum, ſicuti eſt? Facies autẽ Dei, manifeſtatio eius intelligẽda eſt, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque iſto nomine nuncupamus. Et poſt paululum dicit, Ita Deus erit nobis notus, atque conſpicuus, ut uideatur ſpiritu à ſingulis nobis, in ſingulis nobis, uideatur ab altero in altero,

uideatur in seipso, uideatur in cœlo nouo & terra noua, atq; in omni, quæ tunc fuerit, creatura.

ET nomen eius scriptũ in frontibus eorum.) Per fidem iustificari hoc templum, per quam uitę etiam æternæ conferri declarat meritum. Quum in frontibus eorum nomen Dei & agni, ibi quoq; sic gestari facit scriptum, tãquam pro titulo cognoscatur præferri gloriarũ. Hanc sanè fidem in uno complectitur nomine. Neq; enim dixit, Et nomina Dei & agni scripta in frontibus eorum, quum geminas uideatur significasse personas, ut illius dogmatis regulam custodiret, loquens de regnantibus Sanctis, quàm pridem Dominus seruãdam discipulis tradiderat peregrinis. Ite, inquit, baptizate gentes, tingentes eos In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

cti. Sollicitè enim fuerat commendandum hoc, Sanctos uisuros & habituros specie, quod credebant uiuentes ex fide.

ET nox iam non erit, neque opus erit lumine lucernæ, neq; lumine Solis, quoniam Dominus Deus lucebit super eos, & regnabunt in secula seculorum.) Nostrorum fragilitas corporum his nunc eget uicissitudinibus corporum, & consolationibus elemẽtorum, ut ad exercenda diurna opera, noctis quiete reddatur idonea, utatur etiam nocte pro consolatione lucerna. Tunc autem quando erit Deus omnia in omnibus, qui est lux uera, his elementis nullus ibi indignus, nullus erit unquam obnoxius, quãdo ipse erit lumen regnantibus Sanctis, qui totius autor est operis, neq; perfectorum exhortatio, neq; Le-

gis

gis Diuinæ prædicatio, quæ nunc lucernę esse dicuntur in obscuro loco, quia in Dei contemplatione rebus expletis tenetur perfecta promissio.

ET dixit mihi, Hi sermones fidelissimi & ueri sunt.) Non de Ioannis diffidentia dubitabat, sed ueram uisionẽ omni Ecclesiæ, in qua & paruulos futuros nouerat, commendabat.

ET Dominus Deus spiritum Prophetarũ, misit angelum suum ostendere seruis suis, quæ oportet fieri in breui.) Docuit omnium se utilitati generaliter prospexisse. Ipse autem est spiritus Prophetarum, qui etiam Spiritus sanctus, qui utique Dominus. Propterea Propheta, Audiam, inquit, quid loquitur in me Dominus Deus, & principium loquẽdi Deum in Osea. Nam

propter

propter unius diuinæ Trinitatis essentiam, opportunè hic etiam Spiritum sanctum nominauit, quãdo Patris & Filij nuper fecerat mentionem. Quod enim legimus, Quia Deus Spiritus est, ad totam pertinet Trinitatem.

ECCE uenio citò, felix qui seruat uerba Prophetiæ Libri huius.] Seruare hic ponit reuerenter credere, & purioris uitæ proposito custodire.

ET ego Ioannes, qui hæc uidi & audiui.) Reuelationis attestatio insinuati nominis firmat indicio.

ET quũ audissem, & uidissem, prostraui me ante pedes angeli, ut adorarem, qui mihi ista ostendit: & dicit mihi, Vide ne feceris, quia cõseruus tuus sum, & fratrũ tuorum Prophetarum seruantiũ uerba Prophetiæ Libri huius, magis Deum

adora.] Aut ſemel factum iterauit, quod cohibitus non repetiuit, aut magnarũ uiſionum ſtupore percul ſus, adorare ſe uoluiſſe iterum confitetur. Sicut & Propheta, Expauit (inquit) uenter meus à uoce deprecationis labiorum meorum, & introiuit tremor in oſſa mea, & intra me conturbata eſt uirtus mea.

ET ait mihi, Ne ſignaueris uerba Prophetiæ huius, quia tempus iam in proximo eſt, & hi qui perſeuerant nocere, noceãt, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.) Occulta hic Dei iudicia, ſed iuſta demonſtrant, quibus mali homines in peius proficere permittuntur. Nocere autem hic non tantùm alijs, ſed ſibi potius debet intelligi. Inde ſequitur, Et qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Qui enim ſibi nequam, cui bonus erit? Nam & alia translatio,

Et

Et qui iniuſtus eſt, iniuſtè faciat adhuc.

IVSTVS autem iuſtiora faciat, ſimiliter & ſanctus ſanctiora.) Puto autem quia propterea dicit, Ne ſignaueris autē uerba Prophetiæ huius, quia futuro propinquante iudicio, manifeſtari oportuit Diuina præcepta iudicia atq; promiſſa, quorū obſeruatione præmium mites acquirant, neglectu pœnam contumaces incurrant. Ante enim dixerat ſigna, quæ loquuta ſunt,

SEPTEM tonitrua, modò autem ne ſignaueris: ecce uenio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuiq; ſecundùm facta ſua.) Satis dictum ſit.

EGO Alpha & Ω, primus & nouiſſimus, initium & finis.) Fidelis prædicatio et finis, & irreprehenſibilis forma uirtutum quoties re-

petitione firmatur, ampliore cultũ ſpiritalis animus informatur: quod ad finem libri breuiter quidem, ſed competẽter exprimitur. In Alpha, Verbi diuinitatem, in Ω ſuſceptam humanitatem aſſignans, principiũ ſine termino. Quod autem in præſenti Libro toties Alpha & Ω repetitum uideo, nõ inaniter factum fuiſſe cognoſco. Siue enim propter unius Chriſti diuinitatem & humanitatem ſæpius inſinuãdam, in qua totius Chriſtianæ fidei ſummã conſtare præmiſimus, ſiue ut unius naturæ tota Trinitas intimetur, quæ per Prophetam dicit, Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit, Ego ſum Deus, & non eſt abſque me Saluator: uel cui per Prophetam dicitur, Tu es Deus, & in te eſt Deus, & præter te non eſt alius Deus. Siue aliud aliquid melio-

ris lateat ſecretioriſq́ mysterij, non tamen dubito ad hoc ſæpius iteratum, ut intelligendi gratia fidelibus maneat fructuoſum. Nam & ipſa elementa Græci alphabeti, Alpha & Ω, eiuſdem numeri conficiunt ſummam, quam columbæ nomine in Græco nouimus comprehendi. Columba enim Græcè ſic dicitur, Π Ε Ρ Ι Σ Τ Ε Ρ Α: quo nomine octingenta & unus, numerus ſublimatur: quem etiam Alpha & Ω adimplent. In columbæ autem ſpecie nobis ſancti Spiritus nouimus ſignificari perſonam, in cuius ſpecie deſcẽdens uoluit apparere, ut ſcilicet Arianorum, aliorumq́ hęreticorum fruſtraretur inſania, qui eum Patris & Filij natura aſſerunt alienum: quum etiã per huius conuenientiam numeri, hic quoquè reuelatio cœleſtis conſub-

 ſtan

ſtantialem & coæternum Patri & Filio ſanctum Spiritũ manifeſtet, & in ſtolis lotis, diuinorum docens cuſtodiam mandatorum. Nam & exordium Euangelij ſui, iiſdem Ioannes ſenſibus, licet diuerſo ſermone compoſuit, dicens, In principio erat Verbum. & pòſt paululum, Verbum caro factum eſt. Vbi totius fidei ſumma conſiſtit, ut in uno eodemq́ꝫ Chriſto profecta Deitas, & uera credatur humanitas. Quod uerò ad morum attinet probitatem dicit, Quotquot autem receperunt eum, dedit illis poteſtatẽ filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius, Subiungens fidei charitatisq́ꝫ mercedem, quod paribus hic quoque uidetur narraſſe tramitibus, in Alpha & Ω Chriſtum inſinuans: immaculatam uerò uitam in ſtolis ſignificans candidis, cui idem ſimi-

militer

liter præmium pollicetur, dicens,

VT sit potestas eorum super lignũ uitæ.) Lignũ autem uitæ Christus est, ut legimus in Sapientia, Lignum uitæ est cõplectentibus eam. Non autem super Christum hic esse putandi sint, Quia non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum. Sic autem hic dixit, Super lignum uitæ: quomodo si diceret, eorum firmitas super lignum uitæ consistet, idest super Dominum Christum: de quo Propheta etiam dicit, Et super sanctum Israel stabiliti sunt. Vnde enim uirtus accipitur, super hoc esse narratur. Eodem intellectu & Sancto Petro dicitur, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, idest super me. Et Propheta diuerso sermone eodem sensu dicit. Fortitudinem meam ad te custodiam.

ET per portas intrent in ciuitatem sanctam.) De quibus scriptum puto, Aperite mihi portas iusticiæ, ut ingressus in eis confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam. Aliter enim illa ciuitas intrari non potest, nisi per Christum, qui dixit, Ego sum ostium, & nemo uenit ad Patrem, nisi per me.

FORIS autem remanebunt canes, & malefici, & fornicarij, & homicidæ, & seruientes idolis, & uenefici, & omnis qui amat & facit mendacium.) His omnibus non diligentia adhibenda est exponendi, sed sollicitudo impendenda cauendi.

EGO Iesus misi angelũ meum testificari uobis septem Ecclesiis.) Seriem libri resumpturus intentionem primæ relationis assignat, ut

prio

prioribus posteriora conueniant.

EGO ſum radix & origo Dauid.) Diuinitatis Chriſti prædicatione promiſſa; ſecũdùm quod dudum expoſui, formam quoq; ſerui, quam pro nobis aſſumpſit, prædicat dicens, Ego ſum radix et genus Dauid.

STELLA ſplendida, matutina.) Noui Teſtamenti gratia refulgẽte, primæ reſurrectionis tempus oſtendit, quando Chriſtus à mortuis reſurrexit. Hinc legimus, A uigilia matutina uſque ad noctem, à uigilia matutina ſperet Iſrael in Domino.

ET Spiritus & noua nupta dicunt.) Chriſtus & Eccleſia exhortantur.

AGE, & is qui audet, dicat.) Seq; exponens pandit ſuæ exhortationis affectum: & dicit,

ET qui ſitit, ueniat & bibat.) Qui uult, accipiat aquam uitæ gratis: quomodo qui uult, accipiat, quum dixerit, Nemo uenit ad me, niſi Pater, qui me miſit, traxerit eũ, Niſi quia ex nolente fieri, prius nouimus Diuina inſpiratione uolentem. Nam & hic ſicut liberum conuenitur arbitriũ, dicẽdo, Qui uult, accipiat: ut confeſtim gratia prædicitur, in eo quod dicit, Aquam uitæ gratis. Nullis utique bonis præcedentibus accipiat aquã uitæ gratis. Quid enim habes, inquit Apoſtolus, quod non accepiſti? Ergo & uoluntatẽ ueniẽdi à Deo gratis accepimus, cui nihil primi contulimus, ut eſſemus, quanto magis ut iuſti ex peccatoribus redderemur.

TESTOR ego Ioannes, omnes qui audiunt uerba Prophetiæ Libri huius.) Hæc dicit, qui iuſſit

teſti

testimoniū perhiberi, quem testem fidelem superiùs memorat, de ipso nunc quod iusserit, testimoniū perhiberi. Ne huius Libri tam salubris contemnenda putaretur utilitas, suam personam laudabili humilitate postposuit, & contẽptoribus Christum opponit. Quod ergo gestis fidelibus caput impleuit, quum dicit, Meus est cibus, ut faciam uoluntatem eius, qui me misit, uel similia, hoc iubet implendum & corpori.

SI quis addiderit ad hæc, adijciet Deus super eū plagas scriptas in hoc Libro: & si quis dempserit, adimet Dominus partem eius de libro Vitæ, & de ciuitate sancta scripta in hoc Libro.] Salomon dicit, Ne addas quicquam uerbis illius, & arguaris inueniarisq; mendax. Hic autem etiam terrorem plagarum adiecit, ut non solum monen-

do

do pōdere autoritatis argueret, ſed etiam minis uel deſides excitaret, uel temerarios coerceret.

DICIT qui teſtimonium perhibet his, Venio citò: etiam ueni Domine Ieſu Chriſte.] Idem Chriſtus teſtimonium perhibet, qui ſe Eccleſiæ uenturum annunciat: cui more Cantici canticorum Eccleſia deuotè reſpondit, Etiam uenio Domine Ieſu Chriſte: quæ dicit orans, Veniat regnum tuum: &, In uia immaculata quando uenies ad me.

ANACEPHALAEOSIS.

QVONIAM ſuſcepti Operis plenitudo, debito properat fine concludi, & diffuſa latiùs multipliciterq́ digeſta, cum difficultate nouimus comprehēdi: quia nec competens cunctis memoria ſuffragatur, nec relata rebus ſingulis loca uelox intentio poterat coaptare, neceſſarijs cogēdum puto compendijs, totius Libri autoritate decurſa: ſic omnis ſeries breui recapitulatione, iterum euoluatur, inſinuata per partes, ut omnium quinque Librorum textus uno ſummatim loco clareat definitus, quum & partitionem recipit ſingulorum, & plenitudinem detur obtinere per totum.

In ſe-

I

IN ſeptem Angelis, Eccleſiarum totidem uniuerſalis Eccleſiæ unitas, cum neceſſaria nominum interpoſitione deſcribitur, quam in candelabris quoq; aureis deſignatam, malos bonis nunc docet habere permixtos, quorum diuerſa qualitas uel mulcetur laudibus ad profectum, uel increpationibus culpatur ad notam.

II

Hanc etiam uigintiquatuor ſenioribus cognoſcendam per Chriſti diſpenſationem, & Euangeliſtarum prædicationem iterata ſignificatione deſcribit.

Hæc quidem in Libro primo.

III

In ſecundo autem Libro, huius capiti Chriſto ſignati dignitas Libri, peractæ diſpenſationis merito

dicitur

dicitur retribui, ut duo in carne una, Christus & Ecclesia possit intelligi: & in ipso omnes thesauri sapientiæ absconditi ante latuisse. in quo docentur reuelati suo tempore refulsisse. Idem in equo albo actu pridem paruit missus, qui uisu processisse dicitur reuelatus.

IIII

Pòst Christi de morte triumphum impugnationes futuras Ecclesiæ, & humani generis plagas enumerat, quas per significationes equorum rufi & nigri, pallentesq́ʒ dicit irrogandas, quibus nasciturũ sub ara Dei memorat martyres.

V

Sextam mundi ætatem, sexto signo denunciat grandi persequutionis impetu in fine uenturam.

VI

In quatuor angelis regna mundi

di quatuor consona Danieli uoce testatur, quos electorũ numerum lædere, Christi primus uetuisse narratur aduentus: quin è transitorio fuissent prætereunda relata duodecim tribuum nomina, quum numero indidit signatorũ: atq; ut unam ex genere Israel, & ex gentibus existere monstraret Ecclesiam gentiũ, mox Vocatione adiunxit, quorum ex operibus fidem, & fidei uoluit narrare mercedem.

Hæc quidem in Libro secundo.

VII

In tertio quoq; libro Ecclesiam in septem angelis ac tubis grata repetitione summari describit, quam externis & intestinis memorat persequutionibus à periculis exercendam, quãdo post unum Angelum, qui super altare Dei stabat cum thuribulo aureo, secũdum, tertium, &

quartum uidetur opposuisse contrarios, & interposita rursus in aquila Ecclesiæ mentione, de puteo abyssi, in locustis, fumis, equisque bellantibus, prodire dicit hæreticos, quorum morsus ut scorpionum, in quibus unum uæ dicit abijsse.

VIII

Angelorum quatuor solutio, cum numero octogenario, & bis myriades myriadum, quibus equites cum loricis igneis & sulphureis iungens, hæresiarches diuerso modo describit, & errorem mox gentilitatis adnectit, quod ad uæ secundum est redigendum.

IX

In angelo nube amicto, primus Christi designatur aduentus, cuius prædicatio ex bonis in ore dulcedinem, ex malis in uentris infirmita-

te dicit amaritudinē procurari. In uoce autem ſeptimi angeli, finis ſextæ ætatis, & initium ſeptimæ nunciatur.

X

In duobus martyribus duo martyrij genera cognoſcenda, & uæ teſtium ueniſſe dicit, ſecundi aduentus interpoſita mentione.

XI

Chriſti rurſus natiuitas aperto Dei templo narratur in cœlo, ideſt Eccleſia, quæ ueſtigia ſui capitis ſequens, uictrix de pugna dicitur excitiſſe draconis.

Hæc quidem in Libro tertio.

XII

In quarto proinde libro de beſtia diſputatur, quam habere dicit cornua decem, & capita ſeptem, in qua aduerſitas deſignatur Chriſto Eccleſiæq́ contraria, quam ac ſi ad

tēpus signis dicit in antichristo ualituram, patientia tamen tolerandam esse sanctorum, & prudentia: notam nomenq́; bestiæ uel numerum præmonet indagandum.

XIII

Post hæc constantem in electis Ecclesiam circūscribit, per nomen agni censitam, & sacrato numero titulatam.

XIIII

Item Christum diuerso schisma te super nubem albam sedentem asserit coronatum cum falce messoria, sed plagarum mentione subiuncta, & sanctorum uictoria cum Iudæorum manente duritia, & incomparabili persequutione uentura.

XV

Damnationem memorat meretricis, quàm fugato mulieris cultu

deſcribit, cui in capitibus ſeptem decem, & ſecularem potentiam & occultam dicit ineſſe nequitiam. Hæc quidem in Libro quarto.

XVI

Quinto etiam libro diuerſo relatu idem Chriſti inſinuatur aduentus, quem nomine Angeli dicit de cœlo deſcendere, ſuaq́ꝫ poteſtate à claritate illuminata terra. Babylon memorat fuiſſe deſtructã, quę cum multis ſignificata uocabulis prædicitur ruitura, commiſſæ iniquitatis debita monſtratur mulctari uindicta, ubi Sanctorum profectò dignitas in Senioribus, & agni nuptijs, & byſſino mundo fuerat memoranda.

XVII

Hunc diadematis inſigne geſtantem, equo albo ſedentem cum beſtia certaſſe deſcribit, ſuisq́ꝫ cate-

nis

nis diabolum per annos mille dicitur alligasse, ut solitam seducendi gentes amiserit potestatem.

XVIII

Pro futuri forma iudicij, in throno cādido sedentem, ipsius memorans Christi secundum rursus designat aduentum, quando elementorum inuocatione, cœlum nouum, terraq́ꝫ futura describit. Et nouam Hierusalem, sponsam agni, Patriarcharum Apostolorumq́ꝫ fundamine solidatam, promissam dicit potiri mercedem cum agni lumine radiari, atqꝫ uitæ fontē potare, eiusq́ꝫ uisione dicitur perfrui.

XIX

Se proinde Alpha & Ω iterat, prædicatione frequentat, ut unius naturæ diuinam insinuet Trinitatem, & futuri Euāgelij sui cum hoc

Libro ſermonem uideatur habere concordem.

XIX

Septem Eccleſiarũ iterata mentione, ſcopum Libri, ideſt intentionem aſſignat, ſeq́ꝫ Chriſtus Eccleſiæ uenturum annunciat.

LIBRI QVINTI FINIS.

PERORATIO.

CONSIDERANS autem huius Operis quantitatem, arbitror quosdam de eius, quã putant, prolixitate posse causari, alios autem Diuinæ lectionis feruore flagrantes, de tanta Libri profunditate ampliora potius flagitare. Sed quum diu inter fastidiosos & auidos nutabundus æstuarem, timui, ne aut immodicis profusiõibus ingessissem odiosis errorem, aut exiguitate necessaria subtraxisse inuidus iudicarer, sicq; stylum putaui regente Domino temperãdum, ut illustrãdis obscurioribus locis plus sermonis impenderem, apertis exiguum, ut nec esurientes fraudarem inuentis, nec peritos ausu prolatis

offenderem. Me tamen fateor, non quantum ardua mysteriorum dignitas exigebat, sed quantum paupertas uirium ope Diuina potuit, debitis exhibuisse seruitijs.

COMMENTARIORVM IN APOCALYPSIM FINIS.

BASILEAE
APVD ROBERTVM
VINTERVM,
ANNO
M. D. XLIIII.

Chartarum series.

a,b,c,d,e,f,g,h,i,k,l,m,n,o,
p,q,r,s,t,u,x,y,z, A,B,C,
D,E,F,G,H,I,K,L,M,N,
O,P,Q,R.

Omnes quaterniones.

ERRATA.

Quaternionis d pagina 5, uersu 18 lege uita, pro ta.

Quatertionis G pagina 8, uersu 2, lege aliud, pro aliquid.

LECTORI.

INDICES quatuor posteriorum Librorum, ab ipso Autore conscripti, non respondent Capitibus in Apocalypsi, sed suis, quæ habent propria. Primus uerò Liber caruit Indice.

centii


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm